DOCTRINAE CHRISTIANAE brevis explicatio:

IN TRIA PRIORA GENEseos capita, Symbolum Apoſtolorum, *Baptiſmi*, *Cœnæ Domini inſtitutionem*, Decalogum, & Orationem Dominicam.

Ad Illuſtriſsimum Principem IACOBVM *VI.* Scotorum *Regem*

Authore PATRICIO SCHARPIO, Theologiæ profeſſore in *Academia* GLASCVENSI.

EDINBVRGI
EXCVDEBAT ROBERTVS *Walde-graue* *Typographus Regius*
ANNO 1599.
Cum privilegio Regio.

IN MY DEFENC
GOD ME DEFEND

ILLVSTRISSIMO

AC POTENTISSIMO PRINCIPI *IACOBO* SEXto Scotorum Regi, gratiam, & *pacem à Domino nostro* Iesu Christo.

CVm ea, quæ in scholis apud meos de scientia veritatis, quæ est de Deo, pluribus disserui, in lucem, summa rerum fastigia sequutus, proferrem constituerem, multa consilium, & rationes meas conturbabant. Vidi nihil dici potuisse, quod non priùs, & summa in singulis rerum argumentis summorum virorum ingenia diligenter elaborasse, quorum eruditionem laudare & mirari potiùs debebam, quàm ingenij culpa deterere, quæ ab ijs doctissimè multum, diuque tractata sunt, & agitata.

Accedebat tenuitatis meæ conſcientia, quæ latendum perpetuò, & temerè doctiſſimi ſæculi iudicium non eſſe ſubeundum monebat. Scripturientis crimen, & laudis cupiditatem, quæ multos ad ſcribendum impulit, odi meritò. Verum enim verò cùm in Theologica profeſſione non ſint audiendi, qui ſacroſanctis Dei verbi tabulis conſentanea non afferunt, novi aliquid dicere perabſurdum videri debebit, & quæ in ſacro argumento noſtra memoria viri clariſſimi literarum monumentis prodiderunt, ad verbi Dei regulam dirigere, & cum doctoribus, qui in Eccleſia optimis temporibus floruerunt, conſenſionem tueri ſtudeant, vt pro menſura doni Chriſti eorum ſcriptis publici conſenſus in doctrina veritatis argumentum, profeſſioque videatur, ſi ſupra id, quod ſcriptum eſt, non ſapiam, nihilque mihi, quod non acceperim, falsò tribuam, conatum meum qualemcunque boni non aliorſum interpretabuntur, atque ego feci. Placet illa Hieronymi ſententia: In Templo Dei offert vnuſquiſque, quod poteſt dicere, & quod datum eſt, alij aurum, argen-

tum

tum, & lapides pretiosos: alij byssum, & purpuram, & coccum offerunt, & hyacinthum: nobiscum bene agitur, si obtulerimus pelles, & caprarum pilos. Nostri enim officij partes esse debent, quæcunque divino munere obtinemus, quantum & voce, & scriptione contendere possumus, ad Ecclesiæ Dei ædificationem perlibenter conferre, & contemptis improborum iudicijs operam nostram bonis omnibus probare. Augusto maiestatis tuæ nomini, Rex potentissime, tenuem hunc ingenij fœtum consecrare, & si tantum splendorem ferre posset, te annuente, in medium prodire volui: eò me iustissimæ impellunt causæ. Te enim non inani titulo Regem Christianissimum colimus, & obseruamus, cui summo Domino, secundum Deum, vitam ipsam, adeoq; omnia, quæ à nobis proficisci possunt, & ex gravissima naturæ sanctione, & sacrosancta divinæ voluntatis conscientia, debemus. Regnum tibi Deus antiquissimum, etsi grauissimis iactatum tempestatibus, summa tamen clarissimorum Regum maiorum tuorum fortitudine, annis plus minus mille nongentis conservatum

tribuit: sed quo illius amplitudo, & decus omnibus Europæ regnis, ac populis præluceret, te imperante Euangelij prædicatione in Scotia tua, depulsis tenebris regnum filij sui, quo vno te summè beatum Regem, ac populum prædicant nationes exteræ, voluit constitui, & à primis annis puriore veritatis ex Dei verbo hauſtæ cognitione penitus imbui, quàm attentè legendo, meditando, sacros administros studiosè audiendo mirificè anxisti, ut possis manifesta luce veritatis tam facilè Sophistarum omnium fraudes detegere, quàm armis Pontificiorum adversum regnum tuum nefarios conatus, & scelerum machinationes compescere. Quàm seriò, Rex Augustissime, de propagando Christi regno, adversum hostes defendendo, ac in omnibus regni tui finibus constituendo cogitâris, quantoque studio rem Ecclesiæ salvam esse velis, in conventu Ecclesiastico luculentè demonstrasti. Nihil enim tua maiestate indignum Ecclesiæ Pastorum, in speciem quidem abiectorum concilio interesse indicasti te Regem verè Christianum esse, malleque Christianum, quàm Regem &

non

non Christianum esse (memini qui præsens audiverim, hæc tua) palam profiteri non dedignatus, nihilque tibi prius, nihil antiquius, quàm ut te authore ubique singulas in Ecclesia curias quàm optimè constitutas in remotissimis regni locis haberemus. Quantum verò in Reipubl. variis iactatæ motibus administratione, lumen animi, ingenij, consilij tui ostenderis incorruptius iudicaturi admirabuntur omnes. Quæ res bonorum omnium studia debet accendere, vt te sanctissimo exemplo præeuntem sequuti, omnem operam, laborem, industriam, consilia, opes pro vocationis ratione ad rem tum regni, tum Ecclesiæ iuvandam conferant.

A me verò & Collegis meis, quos Gymnasio Glascuensi præfecisti, studiorum imprimis rationem, & fructum iure repetas: sunt enim regiæ munificentiæ in Academia hac constituenda, quæ laudabunt posteri, præclara monumenta. Iccirco, quæ nostræ sunt partes, Deum precibus pro tuæ Maiestatis, regni, & Ecclesiæ prospero statu interpellare, voce, scriptione pro modulo

doni Christi publicam rem iuuare non intermittimus. Interea accipe, Rex clarissime, hanc lucubrationem perpetuæ & singularis obseruantiæ erga te meæ testem, ac monimentum. Deum Opt. Max. precor, ut tuam Maiestatem magis, ac magis amplificet, potentissimè tueatur, omnique beneficiorum genere cumulet, & ornet veris ac sempiternis laudibus. Glasguæ
Cal. Maij. 1598.

Augustissimæ majestatis tuæ addictissimus, & humillimus servus

PATRICIVS SCHARPIVS.

QVi veritatis & puræ religionis ſtudio ducuntur, eos neceſſe eſt initio ſcire quid ſit ſcriptura ſacra, & quibus ea libris canonicis contineatur: ait enim Auguſt. l. 2. cap. 8. de Doctrina Chriſtiana, in ſcripturis inveniri omnia quę continent fidem, moreſq; vivendi, et Chryſoſtomus, Hom. 13. in 2. ad Cor. ſcripturam vocat & quiſitam rerũ omnium trutinam, normam, et regulam. Si quis, inquit Ioh. Epiſt. 2. 10. venit ad vos, & hanc doctrinã non habet, ne recipite eum domũ, nec ave ei dicite: eam vocat. v. 9. doctrinã Chriſti. Eſt autem ſcriptura ſacra, quæ inſtinctu Spiritus S. per viros ſanctos, ac imprimis per Prophetas, & Apoſtolos conſcripta eſt ad erudiendũ Dei populũ de recto ipſi, cultu, & vera hominis fœlicitate. Alibi nominatur verbũ Dei, item ſacræ literę ſcripturæ ſanctæ, & ſine epitheto, ſcripturæ, ac numero ſingulari, ſcriptura. Etſi verò fuit tempus, quo Dei verbum literis

ris non mandabatur, ut primis illis temporibus ad Moschis usque ætatem, & Evangelium initio prædicatum continuò scriptum non erat: tamen sapienti Deo visum est suam voluntatem literis mandare, gravi adhibita comminatione in eos, qui verbo scripto vel adderent vel detraherent, ne veritas mendacio corrumperetur, & nos discereremus supra id, quod scriptum est, non sapere. Hæc autem Dei voluntas sive non scripta fuit, sive scripta, semper Ecclesiæ Dei unica fidei, & morum regula extitit. Ait enim Petrus. 1. Epist. 1.25. Verbum Domini manere in æternum, & semen vocat, quod non intereat. Ideo verbum Dei est antiquissimum quo Deus velut efficaci instrumento Ecclesiam sibi colligit: est enim viva Dei vox & expressa, quæ literis consignata, perspicuè ipsius mentem æternam de recto suo cultu, & vera hominis felicitate interpretatur. Nam Deus immediatè per Spiritum S. Prophetis & Apostolis omne suum consiliũ, quod literis mandaretur plenissimè exposuit,

2. Tim. 3. 16. Tota ſcriptura divinitus eſt inſpirata. 2 Pet. 1. 21. Non enim libitu hominis allata eſt olim prophetia, ſed acti à Spiritu ſãcto locuti ſunt ſancti Dei homines. Luc. 1. Sicut locutus eſt per os ſanctorum Prophetarum, qui à ſæculo fuerunt. In eandem ſententiam. 2. Epiſt. cap. 3. verſ. 16. Epiſtolas Pauli reliquis ſcripturis accenſet. Cùm igitur Dei verbum ab ipſius Spiritu profectum fideliſſimè à ſanctis Dei viris ſit & annunciatum, & literis mandatum, neceſſe eſt eo contineri omnia ad Dei cultum, & noſtram ſalutem neceſſaria; unde verè & graviter Tertullianus: Adoro ſcripturæ plenitudinem. Et Auguſtinus ſtateram vocat ſcripturam lib. 2. cap. 6. contra Donatiſtas. Afferamus, inquit, non ſtateras doloſas, ubi expendamus quod volumus, ſed afferamus divinas ſtateras. De ſcripturis ſanctis idem contra Creſconium lib. 2. cap. 32. Literas Cypriani non ut canonicas habeo, ſed eas ex canonicis conſidero, & quod in iis divinarum ſcripturarum authoritati congruit cum laude

ejus accipio: quod autem non congruit, cum pace ejus respuo. In sacris literis Dei voluntati patefactæ hominum statuta & mandata ex diametro repugnant. Ezech. 20. 18. 19. In statutis Patrum vestrorum ne ambuletis. Ego sum Iehova Deus vester, in statutis meis ambulate. Matt. 15. 9. Frustra me colunt docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum. Itaque si puræ religionis, & elementa fidei tradimus, omnia ex Canonicis scripturis sunt demonstranda, aut si ab hostibus veritas oppugnetur, nihil admittamus, quod scripturarum authoritati non congruit. Sufficiunt, ut scribit Athanasius, sanctæ, & divinitus inspiratæ scripturæ ad veritatis indicationem. Hieronymus in Matth. Quod de scripturis authoritatē non habet, eadē facilitate contemnitur, qua approbatur. Canonici libri veteris testamenti numerantur viginti quatuor, qui omnes à Mosche & Prophetis scripti sunt primùm lingua Hebraica, quæ omniū antiquissima est. 1. Genesis. 2. Exodus. 3 Leviticus 4. Numeri, 5. Deuterom.

6. Iosua, 7, Iudicū, 8, Ruth, 9, Samuel. lib. 2. 10. Regum 2. 11. Chronicorū 2. 12. Esdra, qui decem habet cap. 13. Nehemia, qui cap. tredecim habet, 14. Estera decem habens cap. 15. Iobus. 16. Psal. 17. Proverb. Salomonis, 18, Ecclesiastes 19. Canticū canticorū. 20. Esaias 21. Ierem. & Lament. 22. Ezechiel. 23. Daniel, qui. 12. ca. habet. 24. Prophetæ minores numero duodecim. 1. Hoseas 2. Ioel. 3. Amos. 4. Obadia. 5. Iona. 6. Mica. 7. Nahum. 8. Habaccuc. 9. Zephania. 10. Haggai. 11. Zacharias. 12, Malachi. Novi testamenti sunt numero 27. qui primū lingua Græca scripti sunt ab Apost. & Evangelistis: videlicet Evāg. secundū Mat. 2. secundū marc. 3. secundū. Luc. 4. secundū Ioh. 5. Acta Apost. 6. Pauli Epist. ad Rom. 7. ad Corinth. 1. 8. ad Corinth. 2. 9. ad Galatas, 10. ad Ephes. 11. ad Phil. 12. ad Colossenses, 13 ad Thes. 1. 14 Thess. 2. 15. ad Tim. 1. 16. ad Tim. 2. 17. ad Titum. 18. ad Philem. 19. ad Hebræos. 20. 2 epist. Iacobi 21. Petri 1. 22. Petri 2. 23. Ioh. 1. 24. Ioh. 2. 25. Ioh. 3. 26. Iudæ. 27. Apocalypsis. Hæc

sunt

sunt, ut scribit Ruffin, in symbolũ, quæ patres intra Canonem concluserunt, ex quibus fidei nostrę assertiones constare voluerũt: Et paulò post, hæc nobis à patribus, ut dixi, tradita, opportunũ visũ est hoc in loco designare, ad institutionẽ eorũ, qui prima fidei elementa suscipiũt vt sciant ex quibus sibi fontibus verbi Dei haurienda sint pocula: nam soli Deo, qui mentiri non potest, & jus habet in omnes imperandi, omnino credendũ, & necessariò nobis parendum est: homines verò & fallere, & falli possunt. Quare eorum placitis duntaxat acquiescendum, quatenus Dei verbo sunt cõsentanea. Docere verò scripturã hanc esse Dei verbum apud hominem ψυχικον frustra desudaveris: at qui sunt à Deo edocti lucem veritatis sua natura notissimam & clarissimam agnoscunt, & cõplectuntur: nam Spiritus S. corda aperit, ut lucẽ illã oblatã recipiant: sunt autem & alij libri, qui non canonici, sed Ecclesiastici, & Apocryphi à patribus appellãtur, quod legi in Ecclesiis voluerũt, non tamen proferri ad authoritatẽ ex

his

bis fidei confirmandũ. Veteris testamẽ-
tinumerantur Apocryphi. 1. Tobiæ. 1-
2. Oratio Manasſis. 3. Iudith. 1.4. Baru-
chi 1.5. Epiſt. Ierem. 6. Daniel. 7. Eſd. l. 3
et 4. 8. Adjectiones Eſteræ 9. li. Macchabæorum. 10. Sapientia Salom. 11. Eccleſiaſticus, qui omnes Apocryphi ſunt, & à canone rejiciendi. Non ſunt enim à prophetis ſcripti, neq; primùm lingua hebraica. Quamobrẽ Eccleſia Iudęorũ eos à canone ſcripturæ removit, nam prophetarũ ultimus fuit Malachias, poſt quem ſcripti ſunt apocryphi. Præterea quædam habent diverſa à canonicis, quædam cum ijs pugnantia, quædam fabuloſa, quædam impia, quæ pluribus viri docti accuratè, demonſtrarunt. Deniq; concilia, et patres tum veteres, tum recentiores, multi etiam pontificij quod ex eorum ſcriptis facile intelligi poteſt, eos libros à canone reijciunt. Illud animadvertendũ ex ijs quòſdam canonicos interdum à patribus dici, quod morum canonẽ retineant, ſed propriè canonicum, & fidei, et morum regulam eſſe. Quod opportunè Cajetanus etiam

tiam Pontificius admonet in fine commentariorum in historiam veteris testamenti. In scripturis igitur divinitus inspiratis, et verè Canonicis Deum loquentem, et quæ pertinent ad ipsius cultum, & nostram salutem omnia tradentem necessaria studiosè audiamus, atque firma fide credamus: & quia multa infirmitate laborantes ex parte cognoscimus, à Patre luminum indesinenter omnem sapientiam, et spiritualem intelligentiam petentes, diligenti scripturarum lectione, & collatione earum rectam intelligentiam perpetuis incrementis studeamus consequi. Ad hæc doctorum lucubrationes, & scripta sic adhibeamus, ut quod in ijs scripturarũ authoritati congruit, cum eorum laude accipiamus, quod autem non congruit, cum eorum pace respuamus. Nam, ut scribit Origenes in Ieremiam: Necesse nobis est, scripturas sanctas in testimonium vocare: sensus quippe nostri & enarrationes sine his testibus non habent fidem.

PRÆ-

PRAELECTIONES PATRICII SCHARPII IN *tria priora Geneseos capita.*

MIhi sæpenumerò disquireriti, quanam certissima ratione Christianæ Religionis rudimenta & juventuti in scholis & populo, pro conciono, commodissimè explicari possent, in tanta judiciorum varietate, placuit ea sententia, quę loca scripturæ sacræ suaderet aperienda, vnde omnes Theologiæ fontes dimanarent. Cum igitur cognitio Dei conditoris, quæ caput est primùm diuinæ sapientiæ, non meliùs quàm ex creationis Historia percipi possit, ea initio explicanda venit: deinde lapsum humani generis, & redemptionem in semine mulieris Christo Iesu factam partim caput Geneseos tertium, partim fidei symbolum, quod vocant Apostolorum, luculentè demonstrabit: & quia fidei doctrinam obsignant Sacramenta, eorum institutio ex Euangelio secundum Matthæum 28. vers. 19. & secundum Marcum cap. 16 vers. 16. Epist. 1. ad Corinth. cap. 11. vers. 23. petenda erit. Denique hominum officia tum erga Deum, tum erga proximum præscribet lex Dei, quam Decalogum appellamus: Cumquè sit pietatis pars maxima in Precatione sita, illius absolutissimam formam à Christo Iesu propositam juvante Deo explanabimus.

Nunc verò creationis historiam aggressuri de authore & libri inscriptione pauca initio dicemus. Authorem Dei spiritum esse, Moschen vero amanuensem & res ipsæ

Lib. Bib. Fac. Jurid. Edinb.

loquuntur, & nos firma animi persuasione credimus. Quod vero Mosches Dei spiritu actus res tam multis retro seculis gestas, annis nimirum plus minus bis mille quingentis, creationem mundi, institutionem conjugij primi hominis lapsum literis mandarit, id illi tam facile fuit, quam ea prædicere, quæ multis postea seculis Ecclesiæ Dei & Christo euenerunt. Nec mirum videri debet, cum Moschen Dominus sit alloquutus facie ad faciem, quemadmodum solet quis amicum suum Ex.33.11. Et reliquis prophetis anteponat: sic enim alloquitur Aaronē & Mirjamum. Numerorum 12.6. Audite nunc verba mea si est propheta ex vobis per visionem me ipsum Iehouam notum facio ei, aut per somnium alloquor eum: non sic seruus meus Mosches, qui est in tota domo mea fidelis, in os alloquor eum adeo, vt speciem, similitudinemq; Iehouæ intueatur, ac non per ænigmata. Quare igitur non timuistis obloqui, contra seruum meum, contra Moschen? Christus Ioh.5.46. ait, si crederetis Moschi, crederetis mihi, ille de me scripsit. Et à mortuis excitatus Moschen testem facit eorū, quę fuit perpessus. Lu.24.26 27. Nonne hæc oportuit pati Christū, & introire in gloriam eius? Et exorsus à Moschē, & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de se scripta erant. Quàm eximijs Dei donis fuerit ornatus Mosches testis est historia rerum ab ipso gestarum, testis Stephanus Act.7. Testis Apostolus ad Heb.11. In eo summa fides, admirandū prophetię donum, inuicta animi magnitudo, iustitię, & æquitatis singulare studium, māsuetudo incredibilis. Sic legimus Num.12.3. Vir autem ille Moschē man suetus erat valdè præ omnibus hominibus qui erant in superficie terræ. Historiam igitur Moschis diuinitus inspiratam esse agnoscimus, & qua fide par est, sacram scripturam amplectimur, in eo singularia Dei dona admirati, vt authorem & Deū largitorem benignè consulentē Ecclesiæ suæ, & omnia ad illius ædificationem necessaria conferentem celebremus. Atque hæc de authore. Primum

Moschis

Moſchis librum *Bereſcith* appellant ſuo more Hebræi, a prima libri dictione. Græci autem interpretes *geneſin* generationem, procreationem, originem: mundi enim & vniverſitatis hujus conditum, & originem deſcribit. Cuivis nota eſt ſynecdoche: nam non ſolum ortum mundi, et ecclesiæ, ſed hujus etiam doctrinam, religionem, progreſſus, & mirificam bis mille trecentorum ſexaginta octo annorum gubernationem pertexit ordine. Creationis natratio, quam nos explicandã ſuſcepimus, duobus primis capitibus perficitur. Primo autem capite creationem vniverſitatis ſex diebus abſolutam narrat: diſtincte igitur de ſingulorum dierum operibus dicendum erit.

CAP. I.

1 *In principio creauit Deus cœlum & terram.*

IN *principio*) Propoſitio eſt narrationis rerum conditarũ cujuſmodi reperitur infra ca. 5, 1. & c. 1. 1. v. Evan. ſecundum Matt. Sententia eſt Deum rerum omnium epificem in principio. i. quo tempore cepit hæc rerum vniverſitas exiſtere, cœlum, terram, & ea, quæ tum cœlo, tum terra continentur, omnia ex nihilo condidiſſe. Conſtat propoſitio efficiente, & effecto temporis *periſtaſes* definito. Vox Elohim multitudinis numero indicat Deum Patrem Filium & Spiritum ſanctum mundi authorem eſſe. Sic enim ſacræ literæ creationis opus, vt & reliqua externa, quæ vulgò ad extra appellantur, tribus perſonis promiſcuè tribuunt. Patri quidem Act 4. verſ. 24. Tu es Deus ille, qui feciſti cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in ijs ſunt, Iob. 38. verſ. 4. Vbi eras, cum fundarem terram, indica, ſi nouiſti intelligentiam. Creatio tribuitur Filio. Pſal. 102. verſ. 26. Vt interpretatur Apoſtolus ad Hebræos cap. 1. verſ. 10. Tu initio Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Iohan. 1. verſ. 3 Omnia per ipſum facta ſunt, & abſque eo factum eſt nihil, quod factum eſt. Spiritui Sancto Iob. 33. verſ. 4. Spiritus Dei fortis fecit me, & afflatus omnipo-

nipotentis vitam indidit mihi: & infra hoc cap. vers. 26. faciamus hominem ad imaginem nostram.

Creauit) Vt interpretantur Hebræi significat ex nihilo facere, & quidem potentissimè, ac magnificentissimè; siue enim magnitudinem & immensam vniuersitatis molem ex nihilo factam, siue ornatum, & innumerabilium rerum varietatem spectemus potentissimum, & magnificentissimum creationis opus videri debet. Vtitur eodem verbo Dauid Psal. 51. vers. 12. ad exprimendum mirificum instaurationis opus. Animum inquit, mundum crea mihi Deus. Tam enim magnificum est spiritu mentis renouari, quàm ex nihilo hominem initio conditum fuisse.

In principio) Temporis circumstantia non ad momentum, sed totum illud sex dierum spatium, quo res sunt creatæ referri debet: siue autem principium creationis, siue principium vniuersitatis dixeris: semper mundi conditi in tempore principium erit, & id quidem non in puncto sed continuato temporis spatio: neque enim principio creationis, neque principio rerum conditarum, si momentum illud primum respicias, res sunt creatæ.

Cælum) Cœli nomine significantur etiam ea, quæ cœlo continentur, vt planetæ, stellæ, cœlestesque adeo spiritus ad Colos. 1. vers. 13. Nam per eum condita sunt omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, siue visibilia & invisibilia, siue throni, siue dominia, siue imperia, siue potestates, omnia per eum, et ejus respectu condita sunt. In sacris litéris quatuor sunt præcipuè cœli significata. Significat primùm illud omne spatium, quod supra est. Sic tota illa expansio, quæ aerem, orbes cœlestes, & locum illum conspicuis orbibus celsiorem complectitur, cœlum appellatur, vers. 8. infra. Secundò significat aerem nobis circumfusum, variis mutationibus obnoxium, quo sensu Psal. 8. vers. 9. aues cœlorum, & Matthæi 6. vers. 26. Volucres cœli dicuntur. Tertiò cœlestem illam regionem, quæ nullis pluviarum, procellarum, tempestatum

in-

injurijs, ac mutationibus subijcitur, in qua sunt stellæ, planetæ. De hoc cœlo Psal. 19. vers. 1. Iehos. 10. vers. 13. Stabat autem sol in medio cœlo, neque festinabat ad occasum, quasi diem integrum. Quartò cœlum est locus ille inconspicuus suprà omnes illos orbes cœlestes, in quem ascendit Christus homo à mortuis suscitatus. Act. 1. vers. 11. Ad Ephes. 4. vers. 10. Qui descenderat, ipse est etiam, qui ascendit longè supra omnes cœlos, vt impleret omnia. Ad Hebr. 7. vers. 26. Hæc sedes beatorum spirituum. i. tum electorum angelorum, tum animarum eorum, qui in Domino moriuntur. Matth. 1. 18. vers. 10. Videte, ne contemnatis aliquem ex paruis istis: Dico enim vobis Angelos eorum in cœlis per omne tempus intueri Patris mei faciem, qui est in cœlis, Col. 1. vers. 16. Stephanus Act 7. vers. 59. precatur: Domine Iesu suscipe spiritum meum. Vide Lucæ 16. vers. 22. Hoc loco autem & totam illam expansionem significat cœlum, quæ supra est, & quicquid ea continetur, metonymia subiecti.

Terram) Terra significat, & quod ambit mare, & omnia quæ terra, marique continentur. Nos autem per fidem intelligamus constructum fuisse mundum verbo 2
Dei, & quæ cernimus ex apparentibus non esse, ad Hebræos. 11. Sic enim fidei oculis res conditas intueri nos oportet, vt ex doctrina creationis fructum salutarem percipere possimus. Præterea nobis firmiter credendum, non 3
solùm omnia Deum condidisse ex nihilo, sed etiam condita tueri, conseruare, regere. Ad Colos. 1. vers. 16. Estque ipse ante omnia, & omnia per eum constituit. Ad Romanos. 11. vers. 35. Ad Hebræos. 1. vers. 3. Psal. 95. vers. 4. In cujus manu sunt ima vestigia terræ, penes quem sunt vi- 3
res montium. Finis autem creationis, & conseruationis est duplex: primus vt Deum rerum opificem summè potentem, sapientem, & bonum cognoscamus: Dei autem potentiam arguit immensa mundi moles ex nihilo effecta, solius verbi imperio: sapientiam loquuntur ars innumerabilium rerum speciles, ornatus, et admirabilis col-

locatio: bonitatem testatur vtilitas ea, quam nos ex rebus conditis percipimus. Fecit enim vt ait Basilius homilia prima in *Hexameron*, ne bonis, quod vtile est, vt sapiens, quod pulcherrimum, vt potentia præditus, quod maximum est. Secundus finis est vt nos ipsos, principia nostra, & originem Ecclesiæ Dei cognoscentes, Deum conditorem, & nostri generis authorem colamus, & reuereamur. Omnes operatus est Iehoua propter se, etiamque improbum ad diem mali Prou. 16.3. Nam ex eo, & per eum, & in ipsum sunt omnia ad Rom. 11.35.

Aphorismi.

1 Vnum esse rerum conditorem verè credimus, & meritò Martionitas & Manichæos condemnamus, qui duo rerum principia constituerunt, alterum bonum, alterum malum.

2 Cum cœli enarrent gloriam Dei fortis, & opus manuum ejus indicet expansum eorum. Psal. 19. vers. 1. Dei majestatem in operibus relucentem spectare debemus attentè, & celebrare. Sic enim vti rebus conditis, & frui hoc sole decet, vt in agnitionem, & laudem opificis perpetuò feratur mentis cogitatio.

3 Neque mundi fabrica, neque ejus administratio casui, vt falsò quidam sunt opinati, sed vni Deo potentissimo, sapientissimo & optimo tribui debet. Et si ex duobus passerculis, qui assario veniunt, vnus non cadet in terram sine Patre nostro, & capilli capitis nostri sunt numerati: Matth. 10.29. & 30. in Dei omnia administrantis providentia tutò conquiescendum est.

4 Cum Deum ex nihilo omnia condidisse credimus, quantò faciliùs summè potentem ex puluere sanctorum corpora excitare posse credimus?

5 Deus ille est, qui cœlum & terram creauit idque in principio: nihil igitur, ô homo, eorum, quæ oculis tuis subjecit Deus opineris expers esse principij. Basilius homilia prima in *Hexameron*. Errant igitur Philosophi, & quicunque æternum esse mundum dixerunt.

6 Prout initium mundi fuit, ita finis erit aliquando, Psal. 102. 26. ad Heb. 1. 11. Cum igitur omnia hæc dissolvenda sunt, quales oportet esse vos in sanctis conuersationibus, & pietatis officijs, expectantes & properantes ad aduentum diei Dei, in quo cœli conflagrantes soluentur, & elementa æstuantia liquescent. 2. Pet. 3. 11. & 12.

2 *Terra autem erat res informis, & inanis. &c.*

TERra autem) Deinceps *hysteroses* membrorum, quæ fuerunt in propositione: narrat tria primum elementa, terram, aquam, aerem fuisse condita vers. 2. tribus autem sequentibus lucem factam. Elementa ab adjunctis describuntur: fuit enim terra ex nihilo creata forma, potentia, efficacitate, omniq; ornatu carens, vt quæ altissimis aquis esset demersa. Tertio enim post die disclusis aquarũ receptaculis effecit Deus, vt terra emergeret. Proximum elementum ex nihilo conditum fuit aqua, quam propter magnitudinem, & profundissimã molem appellat *tehom*. Græci interpretantur *abysson*, quasi dicas altissimam aquarum sine fundo voraginem, quæ vndiq; terram ambibat, cumq; aer luce nondũ illustraretur, aqua tenebris fuit abdita. Aerem tertium elementũ propriè indicat vox *Ruah*: est enim primaria illius significatio, vt scribit doctissimus Mercerus in Thesauro linguæ sanctæ ad vocem *Ruah*. Spiritus autem Dei appellatur dicendi forma Hebreæ linguę vsitata, qua immensus aer significatur vt soni Dei. Ex. 9. 28. *Merachepheth* sitũ elementi aeris notat: immensus enim aer vndiq. circumfusus & aquam, & terram, quasi sinu complectebatur. In verbo est synedoche speciei. Aues enim pullitiei suæ incubantes alarum expãsione eam tegunt. Vnde incubando alas expandere pro obtegere sumitur, & jerachepheth Deut. 32. 11. interpretatur Targhum *Mithchepheth*, id est, tegmen facit vel tegit pullos suos. Quod plerique etiam docti hæc de Spiritus sancti fotu confusam initio molem conseruantis & formationis ergò foventis interpretantur, & si id piè quidem, audax tamen est verbi modificatio. Nihil enim

de-

de fotu, sed sæpe Deo verbo facta fuisse omnia legimus. Illud autem imprimis accommodatè videtur dici Spiritus sancti virtutem ad diligestam illam congeriem sustinendam fuisse necessariam, ac patrem Deo Patri, Filio, & Spiritui sancto tum creationis, tum conservationis opus attribui debet, vt supra explicauimus: Neque enim possea Spiritui sancto distinctè in creationis opere vllæ partes tribuuntur. Augustinus libro imperfect de Genesi ad literam, tres affert opiniones de verbo Spiritus, hoc loco, interpretatione, et tertiam dicit esse, vt credatur spiritus nomine aeris elementum enunciatum. Scio diuersam esse Basilii, Ephremum Syrum, quem suæ opinionis authorem habet, laudantis sententiam: sed quod vero maxime consentaneum videtur, sequuti sumus.

Aphorismi ex secundum verſum.

1 Elementum est corpus simplex à Deo creatum, ex quo quidque primùm componitur, & quod in res species differentes diuidi non potest.

2 Quamuis elementa perpetuis mutationibus obnoxia ad interitum properare videantur, tamen Dei omnia sustentantis ac regentis potentia æquè durant, ac illa corpora, quæ longissimè à mutationibus sejuncta videntur immutabilia esse, vt res omnes non sua vi insita, sed conditoris potentia constare intelligamus, fundauit terram super bases ejus, ne dimoueretur in perpetuum & seculum. Psal. 100. vers. 5.

3 Si terram in medio mundi collocatam, aquam natura diffluentem, nec vspiam in plano, nedum in conuexo globi consistentem, aerem mira tenuitate circumfusum mentis oculis spectabis, conditoris tum potentiæ, tum sapientiæ in admirationem te rapiet, vt eam vehementer prædicare debeas.

4 Literæ a Philosophis multùm agitatam de numero elementorum dirimit Spiritus sanctus. Nam etsi vulgò quatuor elementa dicantur esse aqua, aer, ignis, terra, reuera tamen sunt tria tantum: nam suprema pars aeris

dus tem ſunecheian vulgari conſuetudine ignis appellatur, teſte ipſo Ariſtotele: non enim actu in ſumma elementari regione ignis flagrat. Ignis autem, quo nos vtimur nihil eſt aliud, quam intenſiſſimus calor cum extrema ſiccitate in corporibus quæ comburuntur, cujus flamma accenſus eſt aer ſolummodò.

5 Elementorum autem non ſolùm ſubſtantias initio creauit Deus, ſed etiam adjunctas qualitates, quibus inter ſe agunt, et patiuntur: fecit enim Deus mundum & omnia quæ in eo ſunt. Act. 17. verſ. 24. Cum igitur res omnes efficiendi vis ab vno ſit authore Deo, falsò ſæpe tribuitur ſecundis cauſis, quod vnius Dei eſt proprium.

3 *Tum dixit Deus, eſto lux: & fuit lux.*

4 *Vidit que Deus lucem hanc eſſe bonam & diſtinctionem fecit Deus inter hanc lucem & tenebras.*

5 *Lucemque Deus vocauit diem, tenebras vero vocauit noctem: ſic fuit veſpera & fuit mane dies primus.*

ET dixit Deus.] Sequitur creatio lucis pars reliqua operis primi diei. Lucem Deus efficit, comprobat, ordinat, & de ea naturæ legem ſancit. Cauſa igitur efficiens lucis eſt Deus Pater, Filius & Spiritus ſanctus. Efficiendi modus eſt ſermo, quem ideo enunciatum credimus, vt ſiue ex nihilo res condat, ſiue collapſas inſtauraturus promittat; & juſto judicio homines contumaces pœnis ſempiternis puniturus, comminetur quam efficax Dei verbum, & quanta in dictis ſit fides, & conſtantia, ſi fides adhibetur, omnino perſuaſum habeamus. Nam qui ſine aliquo ſermone enunciato ſolus voluntatis imperio potuit omnia condere, ille noſtra cauſa jubendo ea voluit exiſtere, vt noverimus quantum ſacroſancto illius verbo deferre debeamus. Quod non ſermonis vſum extitiſſe dicunt quidam, id temerè. Hæc enim dicta ſunt à Deo vt poſtea à nobis crederentur: Ideo diſertè Dauid Pſal. 33. verſ. 6. Verbo Iehouæ cœli facti ſunt, & Spiritu oris ejus totus exercitus eorum. Et Apoſt. 2. ad Corinth. cap. 4.

verſ.

vers. 6. Deus, qui dixit, vt è tenebris lux splendesceret &c. Eodem pertinet Dei mandatum dicentis: fiat lux, esto lux, inde continuò fit lux, nam dicit, vt imperium mox quoque fiat opus. Quarto ante die, quàm sol, aut luna existeret, lucem creauit Deus, ne quod nobis proclive est, instrumentis, & secundis causis plus tribuamus, quàm par est: nam eam vim opinione nostra Soli includimus, vt si è mundo tollatur, nulla lux supereſſe videatur. Quæ autem sit natura lucis, quę mentis cogitationem penè fugit, non est facile explicare. Singularis Dei opus agnosco qualitatem effectam ab igne aliquo elementari in corpore perspicuo, & essentiam subsistentem non esse, temerè non affirmarim. Antequam cœli conderentur, apparet supremum locum occupauisse, & aerem & aquam terræ circumfusam illustrasse.

4 *Et vidit*) Approbatio exponitur his verbis, & vidit Deus lucem esse bonam, quæ Augustino perinde sonant, ac si diceretur, visum est Deo lucem esse bonam: significat enim lucem conditam tanquam commune bonum futurum rebus creatis Deum probauisse. In verbo videndi translatio facta est à sensibus corporeis ad animum. Lucis bonitas primùm in eo apparet quòd nobis liquidam voluptatem & miram quandam jucunditatem afferat: cum tenebræ contra tuste semper aliquid, et injucundũ habeant. Conspecta lux, (inquit Basilius in hunc locum) mox nos mœrore liberat, animumque demulcet blandè, ac leniter, quemadmodum splendor Luciferi affusus semel oculis se contuentium, & illapsus tristitiam ex animo depellit, nosque mira circumfundit jucunditate, & recreat. Deinde lux rebus gerendis necessaria & vtilis maximè: multa enim animantia luce sublata se tueri, & alere non possent, nedũ vtilia aliis opera, ad quæ sunt condita, efficere. Indicium enim Dei, vt ait Basilius, non est vsquequaque spectantis ad eam, quæ ex lucis pulchritudine contemplantibus affertur, oblectatio-

tionem, sed verius prospicientis vtilitati ex eadem luce olim ad posteros perventuræ.

Discreuit) Approbationi subjicitur ordinatio his verbis, discreuit Deus inter lucem & tenebras, quibus significat Deum fecisse vt lux ista sic illustraret mundum, vt tenebræ non omnino depellerentur: sed sua luci statio, suaque tenebris assignaretur. Discreuit autem lucem à tenebris, & secundum locum & secundum tempus: alterum enim hemisphærium occupat lux, alterum tenebræ: lux diurno tempore, tenebræ nocturno: quæ vices Dei ordinantis potentia & administratione tam firmæ, ac constantes fuerunt ante conditum Solem, quàm postea conspiciuntur creato sole, & distinctis cœlorum orbibus.

5 Additur naturæ lex à Deo lata: constituit enim, & decreto perpetuo in natura legem hanc posuit, vt lux & tenebræ per vices inter se succederent, nomenque suum in rebus creatis obtinerent. Nomen autem ab adjuncto tempore vtrique imponitur.

Sic fuit Vespera) Id est, hoc pacto & in his operibus hæ singulę naturalis diei partes consumptæ, atque transactæ sunt. Dicuntur autem vespera & mane synecdochicè: nam principium noctis & diei pro tota tocte, dieque ponitur. Tenebras & vesperam diei & luci anteponit Moses, tum quia priores erant tenebræ vers. 2. tum quia ex scripturæ sacræ ratione, quam populi non pauci sequuti sunt, nocte inchoatur naturalis dies, qui constat spatio viginti quatuor horarum. Totus autem ex his tanquam partibus constituitur. Plerique vertunt dies vnus non animaduertentes Hebræos vti numeris primariis pro distributiuis. Atque hinc est quod tantoperè laboret Basilius in causa afferenda cur hic dies vnus dicatur, cum reliqui ex ordine appellentur.

Aphorismi.

1 Admirabilis est verbi Dei efficacia in rebus condendis, ergo parem illius esse in electis instau-

ſtaurandis eredamus: quoniam Deus, qui dixit vt è tenebris lux ſplendeſceret, is eſt, qui ſplenduit in cordibus noſtris ad præbendum lumen cognitionis gloriæ Dei in facie Ieſu Chriſti. 2. Cor. 4. verſ. 6.

2 Quo magis natura lucis eſt abdita, & illius vtilitas nobis perſpecta, eo magis ſapientiam & bonitatem conditoris agnoſceremus, & laudibus proſequeremur: & quo iucundior, & lux nobis amabilior affulget, eo magis authorem tanti boni amaremus.

3 Nobis etiam atq; etiam animadvertendum Dei ſpiritum in ſacris literis corporeę lucis ſimilitudine ad cęleſtem & ſpiritualem lucem contemplandum ducere, facillima ratione erudientem nos in ſalutis, vitæque æternæ doctrina. Chriſtus de ſe Ioh. 8. verſ. 12. Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Eadem metaphora delectatus, Apoſtolos ſuos lucem mundi vocat. Matth. 5. verſ. 14. pro doctrina Euangelij vſurpatur Act 16. 23. pro vitæ ſanctimonia Matth. 5 verſ. 16.

4 Deus vices noctium & dierum certas conſtituit, vt omnia ordine & decenter geri poſſint: Naturæ igitur monſtra ſunt illi, qui legem diuinitus in natura poſitam violant, vt qui ſomno interdiu, noctu genio & potationibus indulgent.

5 Annotat Auguſtinus libro imperfecto de Geneſi ad literam. Deum non feciſſe tenebras, quoniam (inquit) ſpecies ipſas Deus fecit, non priuationes, quæ ad nihilum pertinent, quas tamen ordinatas ab eo intelligamus, vt cum dicitur, & diuiſit Deus inter lucem & tenebras. ne vel ipſæ priuationes non haberent ordinem ſuum Deo cuncta regente, & adminiſtrante, ſicut in cantando interpoſitiones ſilentiorum certis moderatiſque intervallis, quanuis vocum privationes ſint, bene tamen ordinantur ab iis, qui cantare ſcunt, & ſuauitati vniuerſæ cantilenæ aliquid conferunt. Nam & vitiorum noſtrorũ non eſt author Deus, ſed tamen ordinator eſt, cùm eo loco peccatores conſtituit, & ea perpeti cogit, quæ mé-

rentur

rentur. Quædam vero & facit Deus, & ordinat. Quædam vero tantùm ordinat: Iustos & facit & ordinat. Peccatores autem in quantum peccatores sunt, non facit, sed ordinat tantùm. Ita species naturasq; ipsas facit & ordinat. Priuationes autem specierum defectusque naturarum non facit, sed ordinat tantùm. Dixit itaq; fiat lux, & facta est lux: non dixit, fiant tenebræ, & factæ sunt tenebræ.

6 Illud etiam animaduertendum, sic lucem fuisse conditam: & vices dierum ac noctium constitutas, vt sublata vicissitudine, quando ita opus est, alicubi dies aliquot caliginosis tenebris, terram Creator possit inuoluere, vti accidit Ægypto, vbi extiterunt tenebræ in tota terra, tribus diebus, vt non videret alter alterum: neque surgeret vllus è loco suo tribus diebus. Exod. 10. vers. 22. 23. Cùm omnibus filijs Israelis esset lux in habitationibus eorum.

6 *Deinde dixit Deus, esto expansum inter aquas: sit sit distinguens inter aquas vnas & alteras.*

7 *Fecit ergo Deus hoc expansum, quod distinguit inter has aquas, quæ sunt ab infera expansi istius, & aquas illas, quæ sunt à regione supera expansi: & fuit ita.*

8 *Expansum autem hoc Deus vocauit cælum: fecitque Vesperam, & fuit mane dies secundus.*

DEinde dixit) Exposita elementorum primo terræ, aquę, & aeris, deinde altera primi naturalis diei parte, creatione lucis, vt quæ commune bonum omnibus rebus creatis esset futura, persequitur alterum propositionis membrum, & secundo die narrat creatum esse expansum. Ac primùm tum efficiens causa, tum efficiendi modus indicatur. Verbo Iehouæ facti sunt cœli & spiritu oris illius totus exercitus eorum. Psal. 33. vers. 6. Mandatum Dei est, esto expansum, cujus specialis vsus ostenditur, vt distinctionem faciat inter aquas superiores & in-

fe-

feriores, sed de ea postea.

Expansum, Rakiahh) Nomine expansi intelligunt cœlũ hoc. i. aerem: alij cœlum in quo sunt stellę planetæ: at ego rum doctissimo Mercero vtrumq; significare arbitror, adeoq; omne id quod supra est, vt & aerem, cœlestes orbes, in quibus sunt stellæ omnes & cœlum ipsum empyreum, in quo sunt spiritus electi, complectatur. Ita optimus interpres David. Psal. 104. vers. 21. Amicens te luce tanquam panno, extendens cœlos tanquam aulęum, & infra 14. 15. 17. ter in expanso luminaria illa magna collocari dicuntur. Quia vero hoc loco specialis expansi vsus in aquis superioribus secernendis ab inferioribus declaratur, plærique putant aeris tantùm mentionem fieri. At non sunt ita verba retexenda: sic enim sonant, ac si diceret: esto expansum inter aquas. i. esto expansum cujus infima sui parte, nimirum aere, separentur aquæ in sublimi ab aquis quæ proximè sub expanso terram ambiunt. Græci *sterεoma* verterunt, ab adjuncta expansi firmitate diuinitus indita, qua aquæ superiores sustinentur impositio nomine. Propriè vox hebræa significat extensionem vi. rem expansam, quæ compacta, firma est & stabilis. Aere (inquit Mercerus) nihil mollius, nihil fluidius, quem tamen Deus insignis artifex ita consolidauit, vt quouis ære & adamante sit durabilior. Materia igitur expansi fuit aer ille, quem versu 2. *ruah* Dei appellauit. Infima autem expansi pars, quam aerem dicimus, in tres regiones pro vario meteororum genere rectè à Philosophis diuisa est. In regione terris proxima cernuntur meteora, quæ sunt aquea, nebulæ, ros, pruina: calida autem, stellę transvolantes, Castor, Pollux, Helena, ignis allambens. Hic etiã venti. In medio regione sunt nubes, pluuia, nix, grando aquea: Calida autem fulmen, coruscatio, stipulæ, ardentes facęs. Insuprema conspiciuntur cometę, doci, capræ, & similes animalium figuræ, quæ omnia ex calida & sicca exhalatione concreta solis calore incendiuntur. Cometa meteororum nobilissimum est, cùm propter

mag-

magnitudinem & diuturnitatem, tum propter motum & futurorum significationem. Vidimus anno. 1577 Cometã in signem prope stellam Saturni, qui nono die Nouembris primum informis, non procul à sole comparuit: post tres dies videbatur fulgente globo, cauda ingenti ad ortum hyemalem porrecta. Decimo sexto vero die Decembris circa primas partes Piscium conspiebatur vt à doctissimis est obseruatum. At expansi specialis vsus, cernitur in aqueis meteoris maximè sustinendis, quæ suo pondere deorsum continuò ferentur, nisi vi aeri à Deo indita cohiberentur. Quanta autem sit vis aquarum in nubibus, quę immensa magnitudine integras sæpe regiones obtegũt, aquę pluuię demonstrant, quas apertis cœli cataractis totos quadraginta dies, & quadraginta noctes, cùm fieret diluuium illud addendum propter grauissima scelera genus humanum, sese effudisse legimus infra ca. 7. 12. Dictitant Philosophi etiam Christiani solis & astrorum vi immensas nubium moles in aere, quo nihil est fluidius, nihil tenue magis, sustentari. At solis in aduersa hemisphęrio decurrentis nulla vis nubes, quæ supra nos sunt, attingit. Vnde necessariò sequitur nubes illas continuò ruere oportere. Propria igitur & vera causa quę grauia in sublimi fulcit est vis illa & firmitas expanso diuinitus indita, quæ superiores aquas in nubibus, quantumuis immenso pondere, stupendo quodã modo sustinet: atq; tertio ante die, quàm sol, luna & stellę condreatur facta est aquarũ secretio, & vi aeris fultę sunt superiores aquę, quas in sublimi, velut in thesauro repositas Deus esse voluit: partim vt benignitatem exercinurus erga genus humanũ eas ad terram fœcundandum, & irrigandũ, animantiaq; recreandum effunderet: partim vt offensus aliquando hominũ improbitate, scelere, modò nimijs imbribus sata & segetes corrumperet, modò cohibitis pluuijs horrida siccitate agris sterilitatẽ, & animantium calamitatem induceret. Quod Dei consilium ex benedictionibus & minis lege promulgatis intelligi potest. Deute. 28. 12.

Ape-

Aperiet tibi Ichoua thesaurum suum è cælis dando pluviam terræ tuæ tempore suo, & benedicendo cuique operi manus tuæ. Act. 14 vers. 17. Non passus est se esse expertem testimonij, dona tribuendo, dans nobis cœlitus pluvias, ac tempora fructibus edendis apta, implens cibo & lætitia corda nostra. Deuter. 28 vers. 23. Præterea erunt cœli tui, qui sunt supra caput tuum æneï, & terra, quæ subest tibi, ferrea vers. 24. Efficiet Ichoua, vt pluuia terræ tuæ sit puluisculus, aut puluis è cœlis descendet super te, donec exscindaris.

7. *Fecit ergo*) Prout imperat Deus, ita repente circumfunditur expansum & specialis illius vsus apparet in distinguendis aquis.

8 *Expansum*) Naturæ legem sancit, vt & nomen cœli obtineat expansum, & infima sui parte vim illam secernendi aquas superiores ab aquis, quæ sunt infra. Schamajim multitudinis numero, vt Latinis diuitiæ, semper dicitur. Cœlum ita appellatur, vt tradit Rabbi Ioseph, quòd ibi sunt aquæ. Aliam notationem affert Mercerus à Schaa, quod obstupescere significat & Majim: stupendo enim quodammodo, & planè diuino, aquę in sublimi retinentur.

Sic fuit) Conclusio operis secundi diei, vbi idem tropi sunt obseruandi, qui supra vers. 5. Omittitur approbatio, quod supera expansi pars in diem quartum careat ornatu, & quæ sub expanso sunt aquæ nondum à terra discludantur: non enim absoluit die secundo secretionem aquarum: ea autem perfecta die tertio addit approbationem, vt conditis luminaribus & stellis, die quarto adhibetur expansi approbatio.

Aphorismi.

1 Admiranda rerum, quæ in aere cernuntur, varietas, Dei cuncta regentis & potentiam & sapientiam demonstrat. Ideo Dauid Psal. 144. Hortatus ignem, grandinem, niuem, exhalationem, & ventum procellosum ad Deum laudandum & celebrandum in ijs rebus positam esse

ma-

materiam diuinæ laudis significat, vt nos hinc occasionem laudandi Dei arripiamus.

2 Pendent prophani Astrologi à motu & ab aspectibus syderum: vnde illis squalores, siccitates, agrorum sterilitas, immutatio valetudinis: vnde aquæ pluviæ, & tempora fructibus edendis apta: at nos vnum Deum secundas causas moderantem ac gubernantem harum rerum authorem & datorem esse cognoscamus. Act. 14.17.

3 Discant impij Deum metuere: habet enim ille parata tela in sublimi, quibus eos vlciscatur, fulmen, imbres, grandinem, ventos. Iob. 1.16. infra 19.24. infra. 7. vers. 12. Exod. 9.23. & 10.13. Ieremiæ. 10.13. Elegantissimè Claudianus versibus illis, quos scripsit de laude & victoria Theodosij principis contra Eugenium Gallorum regem, quem innumeras barbarorum copias ducentem parua manu fudit.

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis,
Obruit aduersas acies, reuolutaque tela
Vertit in authores, & turbine reppulit hastas,
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
AEolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Anno 1588. memorabili clade, Hispanorum instructissima classis Britanniam insulam injustè ac improbè invasura, ventorum turbine, mari scopulis affecta fuit: de qua doctissimus Beza diuino epigrammate ad reginam Angliæ.

Strauerat innumeris Hispanus classibus æquor,
Regnis iuncturus sceptra Britanna suis.
Tanti huius rogitas quæ motus causa? superbos
Impulit ambitio, vexit auaritia:
Quàm bene te ambitio mersit vanissima ventus:
Et tumida tumidos vos superâstis aquæ!
Quàm bene raptores orbis totius Iberos
Mersit inexhausti iusta vorago maris!

4 Quæ fortuita videntur omnia ea certa Dei providentia regi credamus. Amos. 4.7: Etiam ego cohibui à vobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent ad messem, & demisi pluuiam super ciuitatem vnam, super ciuitatem verò alteram non demisi pluuiam. A Iehoua igitur discamus serenitatem, aquam, pluuiam petere. Zach. 10.1. Obseruandum etiam magnam illarum aquarum vim, quæ in sublimi sunt vi solis in altum euehi. De quarum mirabilibus Plinius. lib. 31. cap. 1. Quid inquit, esse mirabilius potest aquis in cœlo stantibus? At illæ seu parum sit in tantam peruenire altitudinem, rapiunt cosecum piscium examina. Sepe etiam lapides subvehunt portantes aliena pondera. Eædem cadentes omnium terra nascentium causa fiunt.

9 *Posteà dixit Deus, congregentur aquæ istæ, quæ sub hoc cœlo sunt, in locum vnum, & conspicua sit arida: & factum ita.*

POsteà dixit) Opus secundo die cœptum de diuisione aquarum tertio die perfectum fuisse primùm, deinde herbas, arbores, quibus ornata est terra, creatas narrat. Efficiens causa Deus est, qui verbo imperat, ut aquæ singulæ, quæ terram adhuc obruebant in assignatum sibi alueum, & receptaculùm confluant, & commoda imprimis animantium, quæ creaturus fuit, habitationi conspicua appareat arida. Continuò effectum existit. Diffugiunt enim aquæ, vt ait David. Psal. 104. 1. ab increpatione Dei, & à voce tonitru ejus accelerant fugam. Maria vero littoribus, fluuios ripis concluſit, ne terræ denuò superficē obruerent. Sic canit David eodem Psal. v. 9. Terminum opposuisti ne transeant, ne reuertantur ad operiendum terram. Sed quo magis Dei potentiam, sapientiam, et bonitatem agnoscas vide in Hydrographia immensum Oceanum terras undique cingentem, ac sinu in diuersas orbis terrarum partes effundentem, Medi-

ter-

diterraneum mare Europam à Septentrione, Africam ab Austro, & Asiam alluens ab oriente sole, sinum Caspium in Asia versus Septentriones, ab Oceano Indico affluentem Persicum sinum & Erythræum: Specta etiam ingentes fluuios, quibus maximæ partes irrigantur & foecundantur. In Asia Gangem, Euphratem. In Africa Nilum. In Europa Danubium, Rhenum. Mitto innumeros amnes, lacus, stagna, fontes, quibus maxima commoditas jucunditasque singulis regionibus accedit. Mirifica vis & natura est aquarum. Iuxta Romam Albulæ fluminis aquæ vulneribus medentur. In Academia Ciceronis non longè a Puteolis sunt fontes, teste Plinio, calidi perquàm salubres oculis. In multis locis manant aquæ feruentes, quæ vt balnea calefaciunt. Basilius vocat *hydata autephyos thermà*. Sunt & aquæ sapore differentes, vt salsæ, acidæ, vinosæ. Salsæ quæ ex meatibus salsis promanant. Nam mare salsum esse arbitror vel loci in quo fluctuat salsedine, vel quòd initio salsum à Deo fuit conditum, quamuis secus Physicorum schola decreuerit. Acidæ in multis Germaniæ locis. In Naxo insula vna è Cycladibus Ægei maris sunt aquæ, quæ vini optimi saporem referunt. Adeo indulgens cœlestis pater sapientissimus ac optimus, non solùm necessarium, sed etiam jucundum, ac voluptate plenum aquarum vsum liberalissimè homini largitur.

Et conspicua sit arida.

Dei mandato aquæ in assignatum sibi alueum abeunt, & terræ pars, quæ præberet animantibus commodum habitationis locum, contiuuò emergit. Hîc prætium erit operæ, quantum mente, & Chorographicarum tabularum adjumento licet, faciem orbis habitabilis intueri: Vides præter nouum illum orbem non ita pridem cognitum, veterem vndique Oceano cingi, Mediterraneum mare tres insigniores illius partes alluere,

ac plurimùm secernere. Continentem verò fontes, ac flumina perlabuntur, & irrigant: neque insulis, quæ partim Oceano, partim Mediterraneo mari clauduntur, vitæ ac dulces aquæ desunt. Voluit igitur sapientissimus rerum conditor terram natura aridam, ac siccam perenni aquarum irrigatione fæcundam & vberem reddere: verum sic causas secundas ordinat, vt à se omnis efficiendi, & res gignendi vis pendeat. Mirificum sanè illud diuinæ tum sapientiæ, tum potentiæ est opus, cujus meminit Schelomo, Ecclesiastes cap. 1. 7. Omnia flumina properare ad mare, nec tamen mare impleri, & ad locum vnde flumina properant, illuc reuerti proprie. Nam aquæ vis magna, vt etiam tradunt Philosophi, solis calore è mari in altum sublata redit eôdem: pars verò maxima per venas, & occultos terræ meatus in fontes & lacus effluit, & remeat in mare. Nec terra quamuis solida aquam solùm mutuo implexu recipit, sed etiam intimis visceribus, & cavernis vel genitum tenet, vel eò impulsum aerem claudit. Vnde sæpe terræ motus existit, quando terra concutitur à ventis siccis in eam conclusis, qui quando virtute sua attolluntur, atque exitum quærunt, neque vsquam illis patet, propter obstructos terræ meatus, tum retrò feruntur, atque in sese re volvuntur. Hac ratione spiritus reciprocantis siue intercluſi, siue per angustum elisi, movetur atque concutitur terra. Scribit Cornelius Tacitus Lib. 2. Vna nocte terræ motu in Asia duodecim celebres vrbes intercidisse. Tempore Constantini Orientem plærisq; locis anno integro concussit terræ motus, referente Socrate lib 4. Nostra memoria multis locis terræ motum vidit Europa.

Aphorismi in vers. 9.

1 Cùm mari terminum opposuerit Deus, & illud valuis occluserit, ne terræ superficiē inundet, & genus omne animantium deleat, illum & summè potentem & bonum reuereri discamus. Ierem. cap. 5. 22. An me non reuerebimini, dictum Iehouæ, an à facie mea nō contremiscetis,

qui

qui disposui arenam terminum mari statuto perpetuo, quod non transgredietur: quamuis incutiant se, non tamen prævalent, quanvis fremant fluctus ejus, non tamen transgrediuntur illud.

2 Discamus etiam agnoscere, amare, prædicare Dei bonitatem, qui aquarum tam necessarium ac jucundum nobis usum benignissimè concedit.

3 Etsi Deus vniuersum terrarum orbem non sit iterum diluuio aquarum perditurus, vti promisit, Gen. 9. 11. tamen alicubi effundit Oceanum, & vrbes regionesq; obruit, vt illius potentia solùm ab aquarum inundatione nos tutos esse sciamus, & illum invocare non intermittamus. Quod super maria fundâsse terram, & super flumina stabiluisse eam scribit David. Psal. 24. 2. sic accipienda sunt, vt depulsis maribus & fluuiis in suos alveos terram supra extitisse ad commodam animantium habitationem intelligamus, quo sensu maria bases, ac velut terræ statumina appellantur, quibus illius latera circumquaque fulciuntur. Psal. 104. 5.

4 Præterea licet ab aquarum eluvione tuti homines videantur, tamen sua improbitate in se provocârint, habet ille, quo tempore dicent pax & tuta omnia, paratũ exercitum, eumque validissimum, quo ex intimis terræ penetralibus educto, modo vrbes euertat, ciues ruinarum molibus obruat, modo vineas, arbores, colonos terræ hiatu absorbeat. Potentissimum igitur rerum opificem perpetuò reuereamur.

10 *Aridam autem vocauit Deus terram, congregationes verò aquarum conceptacula maria: & vidit Deus id esse bonum.*

11 *Iterum dixit Deus, herbescat terra herbulas, herbas sementantes semen, arbores fructiferas edentes fructum in species suas, in quibus suum sit semen super terram: & fuit ita.*

12 *Nam produxit terra herbulas, herbas sementantes semen in species suas, et arbores edentes fructum, in quibus*

semen suum est in speciem suas, et vidit Deus id esse bonum.
13 *Sic fuit vespera & fuit mane dies tertius.*

10 *Aridam itaque*) Nomina terræ &c aquis diſtinctis imponit Deus: aridam vocat terram, tum quod natura ſit arida & ſicca, tum quod aquis liberata cænoſa non ſit, & humido, vt prius, macerata. Aquarum collectiones maria vocat, quæuis enim magna aquæ collectio Hebræis mare dicitur. 1. Reg. 7. 23. ſæpe ab Euangeliſtis Lacus Tyberias mare appellatur. Mat. 15. 29. Sic autem intelligenda eſt hæc nominum impoſitio vt Deum, & aquis, & terræ, naturæ legem, quam deinceps conſtanter obſeruent præſcribere nouerimus.

Et vidit) Perfectam aquæ ſecretionem, & factam aridam in commodam animantibus habitationem probat, ac vtilem rebus iam condendis fore teſtatur: vid. ſupra v. 4.

11 *Iterum dixit*) Hucuſq; ſimplices quæ vocantur naturæ fuerunt conditæ, deinceps de compoſitis agetur, ac primùm de inanimis in verſ. 20. vſq;. Deinde verò animatis reliquo cap. Inanimæ autem terreſtres in ver. 14. cœleſtes in verſ. 20. explicantur. Reliqua igitur diei tertij parte primùm herbæ, deinde arbores conduntur. Efficiens cauſa eſt Dei ipſius mandatum, cujus vi ſit, vt ſimul ac imperat, mox terra herbeſcente viriditate, ſtirpibus, & arboribus veſtiatur, & ornetur, antequam ſol, aut luna exiſteret, ne diuini operis laudem ſecundis cauſis tribueremus, ſed in ſolidum & vim res creandi, & cõſeruandi vni Deo vindicaremus. Nam vt ſcribit in hunc locum vir ſummè pius, et doctus, Deus per creaturas agit non tanquam alienis opis indigus, ſed quia ſic illi placet. Hic primùm animo contemplare terram, omniq; ornatu carentẽ: deinde ex Dei mandato infinitã herbarũ, florum, ſtirpium, arborum varietate, & ſumma amænitate ridentem, aſpice. Tum facile conditoris ſummã potentiam, ſapientiam, et bonitatem animadverteris. Herbarum duo efficit genera, alias quæ non aſſurgant in culmen, alias quæ aſſurgant & ſemen proferant. arbores non ſolùm potentia fructus proferendi

pra

prędītas creat, sed etiam, quę fructus maturos in hominis vsum, quem mox conditurus erat, jam tum ferant. Seminis autem gignendi vim, & herbis, & arboribus tribuit, vt illud ad speciei quæq; suæ conseruationem, & propagationem afferant: rectè enim Tremellius (in speciebus) non vt vulgo (secundū speciem) vertit: nam cū in dividua sint caduca, ostendit Moses quanam ratione ex Dei ordinatione species conserventur & propagari possint. Semē verò id omne significat, quod necessarium est ad ejusdē speciei propagationem per individua: vt sunt semina, radices, talea, stolones. In summa duplicē potentiā herbis, & arboribus attribuit, nimirū et semen proserendi, et fructū afferendi ad vtilitatē, quæ postea sub finē cap. exponetur.

Et vidit Approbatio in eandem sententiam exponēda, qua supra v. 3. & decimo si ad opus 3. diei accōmodētur.

13 Conclusio operis tertij diei.

Aphorismi.

1 Antequām sol, luna, & stellæ conderentur creatæ sunt herbę, & arbores, ne Deus sēcundis causis nulla necessitate vti videatur, & ad eū nos omnia referre discamus.

2 Dei prouidentiā tam herbarum & stirpiū species, per individua propagantur vi seminī diuinitus indita, quam initio sunt conditę, vt in herbis & stirpibus pāgendis, nihil hominis cultura sine efficaci dei operatione possit efficere

3 Etsi herbarum, stirpium, & arborum genera, vires, fructus non sit facile recensere, nedum explicare definiendo, in quibus pertractandis tot præclara Philosophorum & medicorum ingenia vehementer se exercuerunt, tamen cum tanta rerum ipsarum humano generi vtilium sit ante pedes copia & varietas, quæ in sensus nostros vbique incurrat, non ferendus sanè esset beneficiorum Dei contemptus, & summæ ingratitudinis argumentum non agnoscere conditoris potentiam, sapientiam & bonitatem, gratiasq; ei non agere. Quęri autem hic possit, an optimus rerū creator herbas venenosas initio condiderit. Est (vt ait Plinius) cicuta homini venenum lib. 14. c. 5. At

Basilius in hunc locum scribit, Saturnos vesci cicuta. Mordicus igitur tenendum, & rectè nobis credendum Deum propriam & peculiarem quidem illam arboribus quibusque & herbis vim indidisse, & suis quasque visibus propriis, & peculiaribus destinâsse: eos autem, qui naturæ legem violant, & perperam herbis aut arborum fructibus abuuntur justissimè perniciem sibi accersere.

14 *Post dixit Deus, sunto luminaria in expanso cœli, ad distinctionem faciendum inter diem & noctem, vt sint in signa cùm tempestatibus, tum diebus & annis.*

15 *Sintque in luminaria in expansa cœli, ad efficiendum lucem super terram: & fuit ita.*

16 *Fecit enim Deus duo illa luminaria magna: luminare maius ad præfecturam diei, & luminare minus ad præfecturam noctis, atque stellas.*

17 *Et collocauit ea Deus in expanso cœli ad afferendum lucem super terram.*

18 *Et ad præsidendum diei ac nocti, & ad distinctionem faciendum, inter lucem hanc & tenebras: vidit que Deus id esse bonum.*

19 *Sic fuit vespera, & fuit mane dies quarta.*

14 ET *dixit*) De rebus compositis, quibus terra fuit vestita, nimirū herbis & arboribus dictum, de cœlestibus inuers. 20. agetur. In hac narratione tria sunt obseruanda, decretum hoc & sequenti versu, effectum decreti, vers. 16. 17. & parte 18. denique approbatio, & operis 4 diei conclusio. Deus vnus & idem rerum author jubet, vt luminaria existant in cœlo, quæ distinguant lucem à tenebris, tempestates, dies, noctes, annos designent, & lucem in terram fundant. Luminaria autem sunt corpora luminosa, rotunda, quæ vi diuinitus indita in orbem feruntur. Sol etiam calidus: caloris enim fontem dicimus. Psal. 19. 9. non est quod abscondatur à calore ejus. Si materiam quærimus luminarium, nulla alia esse potest

quàm

quàm ipsum expansum. Lucis autem, quæ iam tum triduò per totum hemisphętium erat fusa, pars maxima in solis corpus conclusa fuit, vt maxima ex parte sit lucis illius *ochema*, id est, vehiculum, vt loquitur Basilius, vnde etiam lunæ communicat lucem, quæ alioqui subobscura foret. Ingentem vero caloris vim soli datam arbitramur, & aliis corporibus presertim siccis calorem etiam tributum esse dicimus, non ita tamen, vt corpus sit aliquod simplex & vnum, in quo calor prima qualitas sit primum & per se. Si creationis ordinem spectemus terra, lapides, insitum prius calorem habuere, quàm sol, qui triduò postea fuit conditus. Quòd verò quidam, ignis quem fingunt, elementaris, solida cœlestia corpora afficientis *anaclasei*, id est, repercussu, calorem nobis cudunt, id tam facile labefactari, quàm verbo affirmari potest.

In expanso) Sintne luminaria distinctis suis orbibus infixa, an piscium more in aquis, sed certa, & constanti lege in expanso ferantur, in medio relinquimus: modò illud sciamus admirabili tum Dei sapientia, tum potentia tot tamque multiplices motus corporum cœlestium potentissimè, ac constantissimè regi. & illa interdum, quando opifici placet, retrò cursum flectere, & ipsum adeò solem regentis nutu consistere.

Ad distinctionem) Sequitur triplex luminarium vsus. Primus est distinguere lucem à tenebris, diem a nocte. Alterum enim *hemisphærium* sole obtinente dies, per idem decurrente luna cum stellis nox est. Alter vsus est in designandis tempestatibus, diebus & annis. Nam sol imprimis propiori suo accessu vernam temperiem, æstatem, autūnum designat & efficit: recessu vero hyemem. Luna autem & stellæ rerum gerendarum tempestates designant, quas agricolæ, nautæ plurimùm obseruant, de quibus sigillatim disserere non est nostri instituti. Deinde motu solis & lunæ dies, anni, menses annotantur quarum rerum vsus latissimè patet, & est hominum so-

cie-

cietati pernecessarius. Tertius vsus in afferenda luce cernitur. Hic etiam synecdochicos non solùm lucem, solem, lunam, stellas in terras fundere, sed varia etiam ratione mirabiliter vires suas exerere agnoscimus. Sol enim omnia calore fovet & vegetat: iuuat etiam motum, & sensum. Luna humores alit. Ideo felicius proveniunt semina, quæ crescente, quàm deficiente luna seruntur.

Et fuit ita) Effectum narrat generatim, deinde versu 16, 17. 18. distinctè exponit. Versu autem 16. Narrat quæ luminaria fecerit Deus, & ab adjunctis, & comparatis, & specialibus effectis describit. Duo facta sunt magna, sol nimirum & luna, quæ non hic magna comparatè, sed absolutè dicuntur: inter se si comparentur luna septies millies sole minor est: ipsa autem terra quadragies ter, vt demonstratum est à Copernico. Specialia effecta sunt solis, diei præesse, lunæ vero, nocti. Creantur autem stellæ, quæ lunæ sunt comites ad temperandum noctis tenebras, nauigantiumque cursus dirigendum. Primus autem, ac tertius ille vsus luminarium *hysterosei* explicantur 17. & 18.

Et vidit) Approbatio & conclusio operis 4. diei vt suprà nobis explicanda sunt.

Aphorismi.

1 Si (vt inquit Basilius) serena nocte admirabilem stellarum ornatum, ac speciem intenta oculorum acie suspexisti, venitque tibi in mentem artificis vniversi, quisnam is sit, qui sideribus hisce velut floribus cœlum miris modis distinxit, ac ornauit, fecitque vt necessitas delectationem ex tantæ pulchritudinis aspectu capiendum exuperet: & si interdiu cogitatione menteq; sobria mira Dei spectacula didicisti, atque per ea quæ cernuntur, eum qui non cernitur, animadvertisti, paratus profectò auditor, & dignus accedis, qui authorem tantarum rerum piè castèque colas.

2 Corporum pulcherrimorum, quæ in cælo conspiciuntur, vsus potissimùm ad humanum genus pertinet: vnde erga nos Deus benignitatem, & amorem suum singularem arguit: quæ res gratum in nobis animum, & summæ bonitatis prædicationem accendere debet, præsertim verò cùm videamus efficere, vt sol suus exoriatur supra malos juxta & bonos. Matth. 5. 45.

3 Dei vnius consilio factum est, vt temporum series, & rerum duratio conseruaretur, ne falsò mundum æternum esse crederemus, sed certò rerum omnium, ecclesiæ originem, & propagationem scientes & Deum vnicum humani generis conditorem, & conseruatorem coleremus.

4 Quamvis corpora illa cœlestia nullis tempestatum procellis, aut mutationibus sunt obnoxia, & constanti lege cursum teneant, Deus tamen summè potens rerum etiam illarum vices & ordines immutat, documenta potentiæ, iræ, misericordiæ edituras Iehos. 10. 13. 2. Reg. 20. 11. Eum igitur solum revereamur, qui cuncta, tam cœlo, quàm terra, marique nutu regit, ac moderatur.

20 *Posteà dixit Deus, abundè progignunto aqua reptilia animantia: & volucres volanto super terram, superficiem versus expansi cœlorum.*

21 *Et creauit Deus cetos maximos, & animantia omnia reptantia, quæ abundè progenuerunt aquæ in species ipsorum, omnesque volucres alatas in species suas: vidit quòd Deus id esse bonum.*

22 *Et benedixit eis Deus, dicendo: fructificate, ac augescite, & implete aquas per maria, & volucres augescunto in terra.*

23 *Sic fuit vespera, & fuit mane, dies quinti.*

20 P*osteà*) Hucusq; de rebus compositis, quæ sunt inanimæ: sequuntur animatæ, ac primùm sensus tantùm participes, & sunt aquatiles, aereæ, aut terrestres. De aquatilibus & aeriis conjunctim in vers. 24. Narrationis

tionis membra sunt tria, primùm exponitur decretum: deinde effectum cum approbatione. Tertiò legis naturalis sanctio de specici propagatione. Decreti duæ sunt partes pro ratione operum: prior aquatilium essentiam, ortum, & sedem explicat. Sunt autem aquatilia ex animantium genere, quæ in aquis versantur, & natant: vnde nantes aquarum incolæ appellantur. Illud (anima vivens) periphrasis est animantis. Ortum indicant hæc (abundè producant aquæ) nam præbent aquæ materiam aquatilibus, & sunt velut causa instrumentalis. Ex ortu indicatur sedes. Nam in eo elemento sedem habent animantia, vnde initio condita fuerunt. Volucrum natus partim ex genere, quod ex proximo membro repetendum est, sunt enim animantia, partim ex effecto, quod volandi verbo exponitur, intelligi potest. Et si volucrum & aquatilium creatio ipsa narratione conjungatur, ortus tamen earum ex terra fuit, vt discretis verbis ait Moses, c. 2. 19. Cum formasset Iehova Deus è terra omnes bestias agri, & omnes volucres cœli. Præterea facile est ex sede ortum ostendere. Verba enim (volucris volet super terram) in hunc sensum exponenda sunt, volucris evolet super terram, id est, emergens è terra prodeat in cœlum liberum volatura, vt scribit Iunius. Sedem vero duplicem habent volucres, alteram, in qua quiescunt, terram: alteram, aerem, in quo plurimùm versantur, non tamen absque motu, & actione. In superficie, vel versus superficiem expansi cœlorum, nihil aliud significat, quam volucres in liberiori aere versus expansum cœli, in quo sunt stellæ, volare.

21 *Et creavit*) Effectum narrat, ac primùm speciatim monstra illa stupenda vastitate, & anguinea specie, tanquam miraculosa divinæ potentiæ in rebus creatis opera, ad quorum aspectum mens humana obstupescit: deinde duas illas species in decreto positas, aquatilium animirum & volucrum, extitisse, quas iisdem argumentis quibus suprà, describit. Creationis etiam finem addit, vt

ſpecies per indiui ſua propagarent. Oſtendit vniuerſi generis nota nullum adeo animalculum in aquis, aut aere conſpici, quod ab vno mundi opifice non ſit creatum. Quòd autem creandi verbo vtitur in his, quæ ex materia facta ſunt, id accipiendum eſt materiæ ipſius ex nihilo creatæ reſpectu. Approbatio eadem eſt cum præcedentibus.

22 *Et benedixit*) Legè naturę conſtituit de propaganda ſpecie per individua. Primùm propagationis cauſa oſtenditur, deinde partes effectis enumerantur. Cauſa eſt Dei benedictio, qua potentiam, & efficacitatem propagandi genus ſuum aquatilibus, & aeriis animantibus tribuit Deus: partes effectis exponuntur, quæ duo ſunt: ſecundum quò non vnum individuum, ſed multa ex vno gignuntur, tanta eſt in vtroque genere fœcunditatis vis diuinitus indita, vt in ejus admirationem rapiamur. Horum conſequens maximè in piſcium genere eſt illud aquas implere per maria, lacus, & flumina diſtributas, vt certis locis fœcunditatis vim naturę, quam ſancit, conſtanti lege concludat.

23 *Sed fust*) Concluſio operis vt ſuprà.

Aphoriſmi.

1 Dei imperio aqua progignit aquatilia, & terra aeria animantia prædita ſentiente anima, quæ ipſis vitam & ſenſus afferat. Itaque ſi corporum cœleſtium motus tam multiplices miramur, & opificis potentiam agnoſcimus, multò magis, ſi facultates animæ ſentientis functiones, & opera animadvertimus, mirificam conditoris, & potentiam & ſapientiam deprehendemus.

2 Obſeruandum vitæ, & ſenſus facultatem ſic animantibus tributam eſſe, vt ab vnius opificis nutu pendeat. Pſal. 104. 29. & 30. Abſcondente faciem tuam conturbantur, recipiente eorum ſpiritum, expirant, et in pulverem reuertuntur. emittente ſpiritum tuum recreantur: denique renouas faciem terræ. Hinc igitur occaſionem

rapia

rapiamus, celebrandi nos, & cum Prophetâ canamus. Sit honor Iehouæ in sæcula, lætetur Iehoua in operibus suis.

3 Deus minutos non solùm quosq; pisces, sed etiam ingentes cetos infinitæ suæ potentiæ argumenta creauit. Legimus apud Plinium lib. 32. 1. Iubam in voluminibus, quæ scripsit ad Caium Cæsarem, Augusti filium, de Arabia tradere cetos sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis influmen Arabiæ intrâsse. Discamus igitur Dei vnius gloriam prædicare, & nostram infirmitatem agnoscere, quò pertinet Dei ipsius oratio ad Iobum, Iobi 40. & 41. cap.

4 Qui pisces & volucres condidit, idem fœcunditatis vim dedit, & cum videtur eam adimit. Nostrum itaque ab vno illa petere, vt in vsus nostros benedictionem suam animantibus perpetuam esse velit.

5 Infinita sunt in piscium, ac volucrum genere quæ conditoris sapientiam, potentiamq; loquantur, & nos in multis officii moneant. In vilissimis ostreis reperiuntur pretiosissimi vniones, quos reges, vt scribit Basilius in suis thesauris recondi percupiunt: quę vis Remoræ pisces, qui maximas naues, vt idem ille scribit, extentis velis, & secundo ventorum flatu per æquora labentes adeo facilè sistit, vt immobiles haud paruo tempore detineat, et moretur? Nonne hic ab exiguo quoq; pisce demonstrationẽ acceperis virium ipsius Creatoris. Ciconiarum pietas in parentes senio confectos, liberos nostros, & suis parentib, benevolos, & eorum imperio obsequentissimos esse monet, si mentẽ adhibere velint, cum alitem videant genitorem su ũ defluxu pennarum degravescentem suismet pennis circundatum fouere, & abundè victum lautèq; suppeditare, subsidiũ etiam ei, quoad fieri potest: in ipso volatu præstare, sensum vtrinq; suis cum subleuantem alis. Quæres adeo nota est, vt mutua gratię retributio sit *antiperistasis* dicta. In apum genere et miranda Dei opera videre licet, & multa quę nos imitemur. Habent & si non scriptas leges, natura tamen expressas, ex quibus communem soci-

societatem tuentur, officium quæque suum regi parentes faciunt. In opere maximum est studium, ars insignis, nullis adeo ignauiæ locus, vt fucos depellant longè, & conficiant. Regem sequuntur non libidine imperitę multitudinis electum, non sorte datum, sed natura principatum in omnes obtinentem, magnitudine, forma, morumque mansuetudine cæteris omnibus antecellentem.

24 *Deinde dixit Deus, producat terra animantia, in speciebus ipsorum pecudes & reptilia, bestiasque terrenas in speciebus suis: & fuit ita.*

25 *Fecit enim Deus bestias terrenas in speciebus suis, armentaq; reptilia terræ in speciebus suis: et vidit Deus esse bonũ.*

24 ET *dixit*) Aquatilium & aereorum animantium creationem exposuit: hoc et sequenti versu de brutis terrestribus dicetur. Primum decretum hoc versu: deinde illius effectum, & operis approbationem narrat. Summa & primaria causa est Deus, terra autem velut instrumentum & materia statuitur. Iubet enim Deus terrã producere animantia, quorum essentiam definit ipso animantium nomine, et triplici differentia, mansuetorum, reptilium, & ferarum. Eadem est illa sentiens anima è terra cum corporibus emergens terrestribus tributa, quam diximus aquatilibus & volucribus inesse. In distributione voces hebręæ *Behema* et *chaia* species notant, quę sæpè etiam ad genus significandum adhibentur, vsitata synecdoche.

In speciebus) Lex indicatur de propaganda specie per individua, quæ ante fuit expositа.

25 FECIT) Sub finem versus præcedentis effectum decreti generatim exposuit: hoc autẽ versu speciatim Deum principem causam, terra velut materia & instrumento vtentem singulas species terrestrium animantium ita condidisse narrat, vt & minima quęque animalcula crearit, & singulis ad speciem suam propagandum vim indiderit. Nota enim vniuersi generis indicat nihil esse

tam exiguum, tam abiectum, & vile in animantium genere, quod Deum non habeat authorem, vt illius infinitam sapientiam in rebus, quæ nobis tenuissimæ, & abiectissimæ videntur, admirari debeamus.

Et vidit.) Approbatio vt suprà.

Aphorismi.

1 Terra quantumvis arida & sicca Dei mandato profert viva animantia: vnde verbi Dei vis summa intelligitur, & qua fide recipi debet, vt de ipsa ideo è puluere corporis resurrectione Dei præsertim verbo promissi nihil dubitemus.

2 Cum tot sunt animantium terrestrium genera, tam diuersa moribus, natura, victu, in iis Dei potentiam, sapientiam, bonitatem ipsis adeò sensibus expositam intueri, agnoscere, & celebrare decet.

3 Quæri solet à multis an infesta initio Deus, & noxia homini animantia condiderit? Respondeo nulla, sed homini paruisse omnia, & illius omnino vsibus ex Dei benedictione, quæ mox sequitur, seruisse. Quòd multa hominis imperium rejiciant, & illi vim sæpenumerò inferant, id hominis peccato tribui debet. Quo factum, vt jus & imperium in omnia animantia amittere mus, & nobis sæpe infesta experiremur, donec in pristinæ dignitatis locum fide in Christo Iesu restituamur. Hinc promissiones illæ. Psal. 91. 13. Super ferocem leonem & Aspidem incedes. Conculcabis juuenem leonem & draconem. His Adde Dauidis & Danielis experimenta.

26 *Posteà dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram, qui dominentur in pisces maris, & in volucres cœli, & in pecudes, & in vniuersam terram, atque in omnia reptilia quæ mouentur super terram.*

27 *Itaque creauit Deus hominem, ad imaginem suam, ad imaginem, inquam Dei creauit eum, marem*

&

& fœminam creauit eos.

28 *Deinde benedixit eis Deus, fœtificate, ac augescite, & implete terram, eamque subijcite: & dominamini in pisces maris, & in volucres cæli, & in omnes bestias reptantes super terram.*

26 ET. *dixit*) Sequitur hominis creatio altera sexti diei parte: hoc versu decretum Dei, sequenti effectum vigesimo octauo benedictio exponitur. Author decreti Deus quod verbo multitudinis numeri pronunciat diuersa ab antecedentibus ratione. Id verò hominis excellentiæ tribuit, vt habita priùs deliberatione velut opus quoddam singulare condendum, & eximium aggrediatur. Decreti verba vel sunt Dei Patris vt fontis & authoris rerum omnium, Filium et Spiritum sanctum compellantis, vel vniuscujusque personæ, vt Pater cum Filio & Spiritu sancto, Filius cum Patre & Spiritu sancto, Spiritus sanctus cum Patre & Filio sit usus hac communicatione, faciamus hominem. Vtraque interpretatio à sanctis viris in Ecclesia recipitur, & hominis creationem tribus in essentia diuina personis communem facit. Sequitur opus ipsum, quod genere, & adjunctis definitur. Cum hominem vocat genus indicat: ad Dei verò imaginem fieri & imperium in animantia omnia, ac in ipsam terram obtinere sunt adjuncta. Quid sit imago Dei verbo similitudinis ostendit. Ad Dei enim imaginem, id est, similitudinem conditus fuit homo. Imago autem nomen est ambiguũ. Aut enim id est ad cujus exemplum aliud fit vel est, vel id est, quod ad aliud fit. Priore significatione si sumatur, quæ infinitæ Deitatis imago ad quam factus sit homo mente potest concipi? Verius illi interpretantur qui ad Dei similitudinem creatum hominem dicunt, ut nimirum conditorem vti se in scripturis sanctis cognoscendũ præbuit modo quodam & ex parte repræsentet, ac referat homo. Vt paucis rem complectar similitudo vel in essentia, vel in adjunctis posita. Primùm enim spiritu

ritu & mente, quæ immortalis est, divinam illam, & æternam adumbramus. Ioh. 4. 24. Deinde ad iustitiam, & sanctitatem veram conditi sumus, quod ex hominis instauratione intelligi potest. ad Ephes. 4. 24. Iustitia donatus Adam tantisper dum integer permansit, & conditorem summè dilexit, & proximum sicut seipsum: gratia Dei verò instaurati ex parte, & imperfectè iustitiæ officia præstamus. Sanctitas in Adamo non solùm naturæ, sed etiam animi & corporis, facultatum omnium, functionum, affectuum, mentis imprimis & voluntatis est integritas, puritas, & rectitudo, quæ in Christo capite absolutissima, in regenitis Dei spiritu inchoata est. Qui divinæ similitudinis umbram aliquam in humani corporis figura dicunt esse, non absurdè sentiunt. Eleganter Poeta.

Pronaque cum spectent animalia cætera terram
Os homini sublime dedit, cælumque tueri
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus,

In imperio autem, & jure, quod tribuit homini Deus in animantia & terram ipsam, divinæ imaginis pars est non obscura. In res enim conditas Deus solus creationis jure summum obtinet imperium, cujus ille summè benignus hominem participem, adeoque consortem esse jubet, dum in omnia animantia, & in vniversam terram imperium exercere præcipit. Observandum est multitudinis numero vti, cum ait, dominentur, partim vt non solùm Adamo, sed etiam posteris tributum fuisse imperium, partim fœminam cum viro hujus imperij consortem, ut quæ particeps fuerit ejusdem imaginis, factam intelligamus. Præterea reptilibus vniversi generis notam addit, & in hoc disertè dominium concedit, ut quam amplum homini imperium Deus tribuat, sciamus, cum illa animantia, quæ imperium maximè videntur fugere, utpote interræ cavernis latentia homini parere oporteat.

27 *Itaque creavit)* Effectum narrat primum generatim, Deum creaviſſe hominem: deinde particulatim marem & fœminam creaviſſe eos. Illud repetit ad imaginem Dei creaviſſe illum, vel ambiguitatis tollendæ cauſa (Nam in priori membro incertum eſt provocabulum (ſuam) ad Deum, an ad hominem referatur) vel ad attentiorem agnitionẽ ſingularis prærogativæ homini, ad imaginem Dei conditi. Vult etiam atq; etiam nos reputare, quanta Dei beneficio præ cæteris animantibus ſit hominis præſtantia.

28 *Et benedixit Deus)* Subjicit Dei benedictionem in vi fæcunditatis divinitus indita ad propagandum ſpeciem, & in rerum dominio poſitam.

De benedictione ſuprà 22. verſ. de imperio 26. Illud interim perſpicuè docet non ſolùm ab uno Deo omnem fœcunditatis vim pendere, ſed etiam benedictionis verbo hominem in rem præſentem adduci, & in terrâ, animantiumque omnium poſſeſſionem mitti. Quod repete in fine verſus omni beſtiæ tribuit, id fit comparatione cœleſtium corporum ſi animantium in terris tenuitatem, & motus tarditatem ſpectemus.

Aphoriſmi.

1 Quemadmodum in hominis creatione mirificæ bonitatis Dei, ſapientiæ & potentiæ ſpecimen videre licet, ita hominis ingratum animum, qui ſe è tam ſublimi dignitatis, & præſtantiæ gradu deturbârit ſciens ac prudens detegtari, & noſtram lugere miſeriam convenit: at non ut alienum peccatum, ſed ut verè noſtrum: nam in parente Adamo peccavimus omnes illius poſteri, ſed de his poſtea in caput tertium.

2 Cum tanta ſit divinæ imaginis in homine præſtantia, & nobis illius inſtaurandæ ratio in Chriſto propoſita, ea ſtudium animi in nobis ad priſtinam conditionem, aut etiam meliorem recuperandum debet accendere.

3 Multa idque diuersi generis bruta animantia initio creauit Deus: at fecit ex vno sanguine totam gentem hominum. Act. 17. 26. vt arctissimæ cognationis vinculo ad concordiam & fraternam charitatem colendum tenerentur.

4 Cum homo ad Dei imaginem sit conditus, qui creatorem suum sanctitate & puritate vitæ referat, quantum scelus est illam Dei imaginem violare? infra cap. 9. vers. 6.

5 Creationis jure solius Dei est in res conditas jus & dominium. Singulari igitur Dei beneficio particeps, & velut consors diuini honoris factus est homo, cum illi jus, & imperium in res creatas tributum est. Psal. 8 vers. 6. 7.

6 Imperium hoc Adami culpa deperditum, in Christo homini instauratum fuit, & si nos fide pœnitentia sanctificaremur, in integrum restituti juvenem Leonem & Draconem conculcaremus. Psal. 91. vers. 13. Amplissimum Dei beneficium in hominem, & summi amoris argumentum non prius hominem finxisse, & mundi dominium constituisse, quàm illi omnia necessaria vitæ præsidia, & ornamenta in promptu adessent. Vnde etiam sequitur rerum vniuersitatem hominis causa fuisse conditam, vt in ea constitutus opificem cognosceret, & omni officio coleret.

29 *Præterea dixit Deus, ecce dedi vobis omnes herbas sementantes semen, quæ sunt in superficie totius terræ, omnesque arbores, in quibus est fructus arboreus, sementantes semen: Vestra ad comedendum erunt.*

30 *Omnibus autem bestijs terræ, & omnibus volucribus cœli, omnibusque reptantibus super terram, in quibus est anima viuens, dedi omnes herbas virides ad comedendum: & fuit ita.*

31 *Tum inspexit Deus quicquid fecerat, ecce autem bonum erat valde: sic fuit vesperè & fuit manè dies sex-*

29 ET dixit) In finem capitis duobus primum versibus constituit Deus conseruationem singulorum animantium, vt suis speciebus propagationem per individua, deinde generalem rerum omnium creatarum approbationē subjungit. Cum autē individua per alimenta conseruentur, & sine suis alimentis deficiant, Deus hoc versu Adamo & posteris dat herbas semen proferentes, & arbores fructiferas, quæ illis alimenta subministrent. Primùm authorem & largitorem Deum esse commemorat, vt eundem juxta rerum conservatorem & conditorem agnoscamus, & ab uno pendere discamus. Addit vocula attentiōnis (Ecce) non quod Adamus integris tum sensibus, & perspicacissima mentis acie donatus non attentissimè Dei beneficium perpenderit, sed vt beneficij magnitudinem etiam, atque etiam meditaretur. Sequitur Dei actio, quia gratuito beneficio se ad hominis vitæ sustentandam abundè tribuere alimenta ostendit. Verūtamen hæc Adamo & posteris condonari non alia conditione credendum est, quàm si in fide, & obedientia permaneant, secus bona conscientia Dei donis uti frui non posse. Itaque nisi cordibus fide purgatis in Christo Iesu deperditum alimentorum usum Adami culpa recuperemus, & per verbum & preces vt legimus. 1. ad Tim. cap. 4. 4. illa nobis sanctificentur, Dei iram in nos accendemus injusti ejus bonorum possessores, & illius potentia, & benignitate ingratissimè abutentes.

Omnem herbam) Quid autem homini in alimentum dederit, luculentè exponit, & amplificat, primùm distributione: dedit enim herbam semen proferentem, deinde arborum fructus. Vtrumque membrum universi generis nota augetur: nam Deus non parcè, non restrictè, sed prolixè, liberaliter largitur homini vitæ hujus sustentandæ præsidia. Deinde effectis illustratur: nam herbam omnem dat, & arborem sementantē semen, quæ vt vi seminis, adhibita hominis cultura species propagant, ita perpetuo cultori alimentum sint præbituræ. Primùm eti-

am membrum amplificatur argumento subjecti & nota universi generis: tribuit enim homini herbas omnes quæ sunt in superficie totius terræ: atque hoc primùm de jure dominij intelligi debet: deinde hæc tribui Adamo, & posteris: infrà cap. 2. Adamum collocat in horto Edenis ad colendum, & custodiendum eum. Secundum membrum alio effecto illustratur: dat enim omnes arbores in quibus sunt fructus ligni ad verbum, id est, omnes arbores jam tum ferentes fructum quem cum arboribus maturum creavit, hominis alendi causa, quod in fine versus declaratur.

30 Cæteris animantibus ad sui conservationem victum attribuit omnem herbescentem viriditatem, quàm autem benignè ostendit nota universi generis ubique adita, et animantium distributio in bestias, volucres, & reptilia. Sic enim curam omnium suscipit Deus, ut reptilibus etiam abjectissimis alimenta præstituat, & comparet.

Et fuit ita) Prout animantibus alimenta constituit Deus, ita ex illius præstituto singula attributis sibi vescebantur.

31 *Et vidit*) Generalis approbatio: sensus enim est Deum singula sua opera, quæ fecit, adeoque omnium inter se *συμμετριαν*, & absolutam perfectionem contemplatum nihil deprehendisse, quod non bonitate quadam singulari præditum opificem bonum, sapientem, potentem testaretur. Dei opera bona sunt, vel in se respectu finis & usus. In se bona intelligimus primùm *esse ουσιαν*. Nam quicquid est, quâ est, bonum est, ut scribit Augustinus Lib. 2. de Libero arbitrio, & in Enchiridio ad Laurentium. Secundò condita sunt bona qualitatibus in se. Sic homo ad Dei imaginem creatus vera intelligentia, & propensa obsequendi Deo voluntate fuit imbutus. Respectu verò finis bona sunt: omnia enim Dei gloriam testantur deinde nostris usibus, & commodis destinata in seruium

Sic fuit) Conclusio operis sexti diei, ut suprà, exponenda. Cur Moſches illud (he) adjiciat, cùm in paribus clauſulis suprà reticuerit quærunt interpretes: alij ad commendationem ſexti diei, quo conditus fuit homo, cujus præſtantiæ hoc tributum eſſe voluntalij ad abſolutam operum Dei perfectionem die ſexto factam attribuunt. Alij relativum, & *epideictícon* dicunt eſſe, vt verſum proximi capitis primum cum præcedentibus conjungant in hanc ſententiam: fuit veſpera & mane illius diei ſexti, quo abſoluti ſunt cœli, & terra, & omnis exercitus eorum. Verùm cum hic verſus hiſtoriæ creationis epilogum contineat, non intereſt admodum precedentibus an ſequentibus jungatur, ut tranſitionis formula.

Aphoriſmi.

1 Idem Deus rerum conſervator, qui initio conditor fuit, ille vitæ noſtræ momenta regit: ille prout ipſi videtur modò rerum copiam, & affluentiam largitur: modò noſtris vitiis offenſus penuria, caritate nos caſtigat, ut in uno expectationem habere diſcamus. Pſal. 145. verſ. 15.

2 Quibuſcunque ad hanc vitam ſuſtinendam vtimur, è Dei largientis manu ea accipimus. Illius igitur beneficentiam agnoſcere, prædicare, & illi perpetuò gratias agere debemus. 1. ad Theſſalonic. cap. 5. verſ. 18. In omnibus gratias agite, Hoc eſt, enim voluntas Dei per Chriſtum Ieſum erga vos. Nec ſolùm gratias Deo de lætis, & rebus proſperis, ſed etiam Iobi exemplo de adverſis ageremus, Iobi cap. 1. verſ. 21. Iehova dedit, & Iehova recepit, ſit nomen Iehovæ benedictum.

3 Si prolixam Dei liberalitatem accuratè, & diligenter vti par eſt, expendimus, ad eam ſanè gratis a-

animis amplexendam incendemur. Plurimum enim Deus homini non solùm ad naturæ quæ paruo contenta est, necessitatem, sed etiam ad voluptatem indulsit: nam eo pertinent maxima colorum, saporum, & odorum varietas.

4 Cætera animantia siue aeria, siue terrestria, siue aquatilia sic in Deo expectationem habent, vt ab illius nutu, suo more omnino pendeant. Psal. 104. vers. 27. Omnia ista in te expectationem habent, vt des escam ipsorum tempore suo, te dante ipsis colligunt, aperiente manum tuam satiantur bono: absconde enim faciem tuam conturbantur &c. Vnde Christus capite Matth. 6. Nos quid edamus, bibamus, aut quo amiciamur sollicitos esse non debere docet, cum nos multo volucribus cœli præstemus, quas Pater ille noster cœlestis alit.

5 Cum operum Dei summa sit bonitas, & absoluta perfectio, næ illi insulsi prorsus sunt, & insani, qui detestabili audacia illius operibus siue illa sint creationis, siue conseruationis obloqui, & detrahere non verentur. Nos contrà operum Dei bonitatem admirati, illum amare, colere, reuereri, deque ipsis operibus mente sobria, & cogitare, & loqui discamus.

CAP. II.

1 *Itaque perfecti sunt cœli, & terra, omnisque exercitus illorum.*

2 *Cum autem perfeciſſet Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, quieuit ipſo die ſeptimo ab omni opere ſuo, quod fecerat.*

3 *Et benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificauit ipſum: cùm in eo quieuiſſet ab omni opere ſuo, quod creauerat Deus faciendo.*

1 ITaque) Secundo capite diei septimi sanctificationem in versum quartum: deinde historię creationis in

in versum vigesimum tertium repetitionem, qua hominis conditum pleniùs & vberiùs describit: denique conjugii institutionem in finem capitis exponit. Hoc versu transitio quædam est: cœli, terræ nominibus elementarem, & ætheream regionem: terram, & quod ambit eam mare, vt exercitus nomine in cœlo solem, lunam, stellas, in aere volucres, in mari pisces, in terra bestias, feras, ci cures: reptilia, quibus tanquam copiis, certis temporibus distinctis locis, ac certo ordine constitutis oriuentur cœli & terra.

2 *Cum autem*) Hoc versu Dei quietem die septimo, sequenti vero illius sanctificationem narrat. Quietis occasio fuit absolutio operum Dei: sex enim dierum spatio opera creationis omnia absolverat. Itaque die septimo à novis rerum speciebus condendis destitit. Quod multa insectorum genera conspiciantur, & Nilus Ægyptiis nota, ut memoriæ prodiderunt Historici, animalium genere progignere videatur, non tam species, quam rerum conditarum degeneres fœtus seminumque primigeniorum abortus quidam, & deprauatio censeri debent. Hominis enim lapsu magna deformitas, magna perturbatio & vanitas rerum universitati inducta est, cui tamen mundus conditus non sua sponte subjectus est, sed propter illum, qui subjicit eum isti vanitati: vnde fit, ut hic mundus quasi exerto capite obseruans expectet patefactionem Filiorum Dei. Ad Ro. 8. 18. 19. 20. Quæri hoc loco solet si ab omni opere suo quievit Deus, quî hæc conveniant cum Christi verbis cap. 5. vers. 17. Ioh. Pater meus, inquit, vsque adhuc operatur, & ego operor. Hæc, quæ in speciem repugnantia est, facilè tolli potest: nam Mosches de creationis opere, Christus de rerum, creatarum conservatione, & diuina administratione loquitur. Deus enim initio res sic condidit ut eas sustentare, tueri, regere, & gubernare non intermittat. Quodni faceret res creatæ momento conciderent: In ipso enim vivimus & movemur, & sumus Act. 17. vers. 28. Ille sustinet omnia verbo

sua

suo potenti. Ad Heb. 1.3. Ad hunc locum pertinent quæ legimus. Psal. 104.29.

3 ET *benedixit*) Sequitur diei septimi sanctificatio, quæ primùm benedicendi exegeticos, deinde sanctificandi verbo exponitur. Benedicimus Deo cum illius bonitatem, sapientiam, virtutem prædicamus, aut pro beneficiis illi gratias agimus. At secus ille rebus creatis benedicere intelligitur, si quidem homini, illum suis donis benedicendo, & bonis cumulat, ac ornat: sin aliis rebus benedicit, id maximè finis earum, & usus respectu efficit. Sic rebus, actionibus quæ hominis emolumento, & commodo cedant, benedicit, Deut. 28. Sic tempori, ut hoc loco diei septimo benedicit, quem suo cultui, & sacris procurandis consecrat, ut diei benedictio nihil sit aliud, quàm exempti ex reliquorum dierum numero ad usum sacrosanctum destinatio: quod verbo sanctificandi interpretatur. Diem autem septimum sanctificat, primùm quia suo cultui consecrat: deinde quia in signum, & sacrosanctum monimentum constituit. Quod verò suo cultui destinat, id primum intelligendum die septimo non otio, & genio indulgendum, sed negotio & sacræ operationi incumbendum esse. Quæ autem sacræ operationis sunt membra, videndum. Sunt autem variæ, quæ ad hæc genera revocari possunt. Imprimis mundum à Deo conditum meminisse, in operibus Dei sapientiam, potentiam, bonitatem, justitiam, misericordiam reluxentem meditari, animadvertere, agnoscere, laudare, prædicare. Secundò voluntatem ipsius Dei patefactam recolere, meditari: lapsos verò homines Dei verbum tum docendo provocationis ratione, tum discendo piè & sanctè exerceri debere, preces reuerenter fundere, miseriæ suæ memores ingemiscere, veniam delictorum petere, & Dei misericordiam indesinenter implorare. Tertiò charitatis officia mutuò facere. Quo pertinent illa de quiete Bovis, Asini, Servi, Ancillæ. Peregrini. Exod. 23. 12. Sex diebus facies opera tua, die autem ipso septimo cessato,

ut quiescat bos tuus, & asinus tuus, et recreetur filius ancillæ tuæ, & peregrinus. Deut. 5. 20. in eandem sententiam. Cavet enim Deus ne continuis laboribus servi fatigentur, & concidant: vult etiam summæ bonitatis argumentum in ipsa bruta extare, quod nos ad humanitatem mansuefaciat. In signum autem & sacrum monimentum dies septimus fuit constitutus. Primùm enim Sabbathum, de rerum creatione sex dierum spatio facta, & de divina cessatione die septimo nos monet. Secundò Iehovam populi sui sanctificatorem esse docuit. Exod. 31. 13. utrumq; perspicuè ostenditur. Sabbatha mea servate, nam signum est inter me & inter vos per generationes vestras ad cognoscendum me Iehovam esse, qui sanctifico vos. Primùm signum est Sabbatum, quo cognoscimus, & monemur Iehovam esse, qui mundũ hunc condiderit initio, quiq; jam tueatur, conservet, & regat cõditum. Deinde populũ Dei monuit Deum vnũ esse, qui, pollutum suo spiritu denuo sanctificaret, & instauraret. Quo sensu Sabbatum in cæremoniis fuit, & nostræ sanctificationis symbolum: quod ubi Christus plenissimè nostram in se naturam sanctificavit, & sui spiritus gratia in ipsum credentes regenuit, cum reliquis cæremoniis abolitum est. Quorsum enim typus, et signũ, cùm res ipsa sit repræsentata? Tertiò fuit dies septimus signũ beatæ illius, & æternæ quietis, qua Filj Dei in regno illo cælesti tandẽ aliquando fruentur. Sic Apost. c. 4. ad Heb. interpretatur vers. 8. 9. Nam si eos Iesus in requie collocasset, nequaquam post hac de alio die locutus esset. Itaque reliquus est aliquis Sabbatismus populo Dei: nam qui ingressus requiem ejus, requievit, & ipse ab operibus suis, quemadmodum à suis Deus. Et Apocalyp. 14. 13. Beati ab hoc tempore ij, qui in Domino moriuntur, nam ipsi requiescunt à laboribus suis: unde duplex illa quies significata intelligi potest. Est enim quies illis a peccato, qui deposita infirmitate vitam illam beatam sunt adepti: tum à laboribus & miseriis, liberati securè conqui-

animis amplexendam incendemur. Plurimum enim Deus homini non solùm ad naturæ quæ paruo contenta est, necessitatem, sed etiam ad voluptatem indulsit: nam eo pertinent maxima colorum, saporum, & odorum varietas.

4 Cætera animantia siue aeria, siue terrestria, siue aquatilia sic in Deo expectationem habent, vt ab illius nutu, suo more omnino pendeant. Psal. 104. vers. 27. Omnia ista in te expectationem habent, vt des escam ipsorum tempore suo, te dante ipsis colligunt, aperiente manum tuam satiantur bono: abscondente faciem tuam conturbantur &c. Vnde Christus capite Matth. 6. Nos quid edamus, bibamus, aut quo amiciamur sollicitos esse non debere docet, cum nos multo volucribus cœli præstemus, quas Pater ille noster cœlestis alit.

5 Cum operum Dei summa sit bonitas, & absoluta perfectio, næ illi insulsi prorsus sunt, & insani, qui detestabili audacia illius operibus siue illa sint creationis, siue conseruationis obloqui, & detrahere non verentur. Nos contrà operum Dei bonitatem admirati, illum amare, colere, reuereri, deque ipsis operibus mente sobria, & cogitare, & loqui discamus.

CAP. II.

1 *Itaque perfecti sunt cœli, & terra, omnisque exercitus illorum.*

2 *Cum autem perfecisset Deus die septimo opus suum quod fecerat, quieuit ipso die septimo ab omni opere suo, quod fecerat.*

3 *Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit ipsum: eùm in eo quieuisset ab omni opere suo, quod creauerat Deus faciendo.*

1 *Itaque.* Secundo capite diei septimi sanctificationem in versum quartum: deinde historiæ creationis

in

in versum vigesimum tertium repetitionem, qua hominis conditum plenius & vberius describit: denique conjugii institutionem in finem capitis exponit. Hoc versu transitio quædam est: cœli, terræ nominibus elementarem, & ætheream regionem: terram, & quod ambit eam mare, vt exercitus nomine in cœlo solem, lunam, stellas, in aere volucres, in mari pisces, in terra bestias, feras, ciures: reptilia, quibus tanquam copiis, certis temporibus distinctis locis, ac certo ordine constitutis omnem cœli & terra.

3 *Cum autem*) Hoc versu Dei quietem die septimo, sequenti vero illius sanctificationem narrat. Quietis occasio fuit absolutio operum Dei: sex enim dierum spatio opera creationis omnia absolverat. Itaque die septimo à novis rerum speciebus condendis destitit. Quod multa insectorum genera conspiciantur, & Nilus Ægyptiis nota, ut memoriæ prodiderunt Historici, animalium genere progignere videatur, non tam species, quam rerum conditarum degeneres fœtus seminumque primigeniorum abortus quidam, & depravatio censeri debent. Hominis enim lapsu magna deformitas, magna perturbatio & vanitas rerum universitati inducta est, cui tamen mundus conditus non sua sponte subjectus est, sed propter illum, qui subjicit eum isti vanitati: vnde fit, ut hic mundus quasi exerto capite observans expectet patefactionem Filiorum Dei. Ad Ro. 8. 18. 19. 20. Quæri hoc loco solet si ab omni opere suo quievit Deus, quî hæc conveniant cum Christi verbis cap. 5. vers. 17. Ioh. Pater meus, inquit, vsque adhuc operatur, & ego operor. Hæc, quæ in speciem repugnantia est, facilè tolli potest: nam Moses de creationis opere, Christus de rerum, creatarum conservatione, & diuina administratione loquitur. Deus enim initio res sic condidit ut eas sustentare, tueri, regere, & gubernare non intermittat. Quodni faceret res creatæ momento conciderent: In ipso enim vivimus & movemur, & sumus Act. 17. vers. 28. Ille sustinet omnia verbo

suo

suo potenti. Ad Heb. 1.3. Ad hunc locum pertinent quæ legimus. Psal. 104.29.

3 ET *benedixit*) Sequitur diei septimi sanctificatio, quæ primùm benedicendi exegeticos, deinde sanctificandi verbo exponitur. Benedicimus Deo cùm illius bonitatem, sapientiam, virtutem prædicamus, aut pro beneficiis illi gratias agimus. At secus ille rebus creatis benedicere intelligitur, si quidem homini, illum suis donis benedicendo, & bonis cumulat, ac ornat: sin aliis rebus benedicit, id maximè finis earum, & usus respectu efficit. Sic rebus, actionibus quæ hominis emolumento, & commodo cedant, benedicit, Deut. 28. Sic tempori, ut hoc loco diei septimo benedicit, quem suo cultui, & sacris procurandis consecrat, ut diei benedictio nihil sit aliud, quàm exempti ex reliquorum dierum numero ad usum sacrosanctum destinatio: quod verbo sanctificandi interpretatur. Diem autem septimum sanctificat, primùm quia suo cultui consecrat: deinde quia in signum, & sacrosanctum monimentum constituit. Quod verò suo cultui destinat, id primum intelligendum die septimo non otio, & genio indulgendum, sed negotio & sacræ operationi incumbendum esse. Quæ autem sacræ operationis sunt membra, videndum. Sunt autem varia, quæ ad hæc genera revocari possunt. Imprimis mundum à Deo conditum meminisse, in operibus Dei sapientiam, potentiam, bonitatem, justitiam, misericordiam relucentem meditari, animadvertere, agnoscere, laudare, prædicare. Secundò voluntatem ipsius Dei patefactam recolere, meditari: lapsos verò homines Dei verbum tum docendo provocationis ratione, tum discendo piè & sanctè exerceri debere, preces reuerenter fundere, miseriæ suæ memores ingemiscere, veniam delictorum petere, & Dei misericordiam indesinenter implorare. Tertiò charitatis officia mutuò facere. Quo pertinent illa de quiete Bovis, Asini, Servi, Ancillæ. Peregrini. Exod. 23. 12. Sex diebus facies opera tua, die autem ipso septimo cessato,

ut quiescat bos tuus, & asinus tuus, et recreetur filius ancillæ tuæ, & peregrinus. Deut. 5. 20. in eandem sententiam. Cavet enim Deus ne continuis laboribus servi fatigentur, & concidant: vult etiam summæ bonitatis argumentum in ipsa bruta extare, quod nos ad humanitatem mansuefaciat. In signum autem & sacrum monimentum dies septimus fuit constitutus. Primùm enim Sabbathum, de rerum creatione sex dierum spatio facta, & de divina cessatione die septimo nos monet. Secundò Iehovam populi sui sanctificatorem esse docuit. Exod. 31. 13. utrumq; perspicuè ostenditur. Sabbatha mea servate, nam signum est inter me & inter vos per generationes vestras ad cognoscendum me Iehovam esse, qui sanctifico vos. Primùm signum est Sabbatum, quo cognoscimus, & monemur Iehovam esse, qui mundū hunc condiderit initio, quiq; jam tueatur, conservet, & regat cōditum. Deinde populū Dei monuit Deum vnū esse, qui, pollutum suo spiritu denuo sanctificaret, & instauraret. Quo sensu Sabbatum in cęremoniis fuit, & nostræ sanctificationis symbolum: quod ubi Christus plenissimè nostram in se naturam sanctificavit, & sui spiritus gratia in ipsum credentes regenuit, cum reliquis cæremoniis abolitum est. Quorsum enim typus, et signū, cùm res ipsa sit repręsentata? Tertiò fuit dies septimus signū beatę illius, & æternæ quietis, qua Filj Dei in regno illo cælesti tandē aliquando fruentur. Sic Apost. c. 4. ad Heb. interpretatur vers. 8. 9. Nam si eos Iesus in requie collocasset, nequaquam post hac de alio die locutus esset. Itaque reliquus est aliquis Sabbatismus populo Dei: nam qui ingressus requiem ejus, requievit, & ipse ab operibus suis, quemadmodum à suis Deus. Et Apocalyp. 14. 13. Beati ab hoc tempore ij, qui in Domino moriuntur, nam ipsi requiescunt à laboribus suis: unde duplex illa quies significata intelligi potest. Est enim quies illis a peccato, qui depositā infirmitate vitam illam beatam sunt adepti: tum à laboribus & miseriis, liberati securè conqui-

quiescunt. Atque hæc ratio cur usus sit Dominus septenario perfectionis symbolo, ad quietem illam significandum omnibus numeris absolutam, & perfectam. Iam quæri potest an perpetua lex de sabbato fuit lata, & si aliqua mutatio sit facta, quæ illius ratio & causa? De cæremonia, quę gravissima sanctione confirmata diligentissimè observabatur, tantisper, dum Christi adventu abolita sit, respondi suprà. De die septimo, qui in Dei cultum impendi debet insolidum, lex in finem sæculorum fixa est. Quòd autem Dominicus dies in locum Sabbati Iudæorum suffectus est à Domino Sabbati, id factum optima ratione, ut nimirum quemadmodum sabbatum illud mundi à Deo conditi signum, ac monimentum fuit, sic dominicus dies instaurati, atque adeò redemptionis per Christum Iesum factæ documentum esset. Dominicus verò dies à Dei spiritu appellatur. Apoc. 1. 10. quod Christus Iesus diem illum signum, & perpetuũ monimentum suæ resurrectionis, & instaurati mundi esse voluerit, in quo Dei Ecclesia sacros conventus celebraret, Evangelium Regni prædicaretur, vota & preces fierent, totus denique Dei cultus exerceretur. Quod diligenter ab ipsis Apostolis, & Ecclesijs ab iis constituris, adeoque omni posteritate observatum videmus Act. cap 27. 1. 1. Cor. 16. 1. ut falsò Dominici diei observationem Iudæorum more nonnulli, aut ex sola Ecclesiæ traditione retineri dicant Pontificij.

Quia in ea) Sanctificationis ratio, quæ sanè vim maximam habere debet. Cum enim Deus suo facto sanctum & segregatum esse diem septimum voluerit, nihil melius, præstantius, aut conuenientius, quam nos conditoris optimi exemplum & factum præsertim ad imitationem propositum sequi, & constanter imitari.

Aphorismi.

1 Perfectis sex dierum creationis operibus, septimo tandem die quievit Deus. A vero igitur ij longè aberrant qui

qui momento conditum fuisse mundum putant. Deus enim per temporum intervalla effecit opera sua, vt iis studiosè, ac diligenter contemplandis nos detineret. Quare meritò reprehendendi sumus, qui hebetes rem tantam tam negligenter agimus, neque aciem mentis intendimus ad pervestigandum in mundi opificio conditoris sapientiam, bonitatem, potentiam, &c. Vt ipsum reveream amur, & sanctè colamus.

2 Diem septimum, & si non perpetuo creationis septimum tamen Deus suo cultui consecravit, & præcepto Decalogi quarto cum perpetua lege sanctificavit. Itaque non fuit audiendi, qui dominici diei observationem ut Iudaicam rejiciunt: tam enim sacros cœtus frequentare, Dei verbum auscultare, & Deum precibus interpellare, quàm idololatriam fugere, divini nominis, profanationem detestari ex Dei lege tenemur, cum lex sit constans piè, justèque coram Deo vivendi regula.

3 Cum dominicus dies, ut Sabbatum mundi à Deo conditi, resurrectionis Christi & instaurati mundi sit signum & monimentum sacrosanctum, vitæ novitatem colendam esse, & cum Christo resurgendum nos meminisse convenit: atque eo magis, quòd Christus factus sit à Deo nostra sanctificatio, quæ veteri Sabbato significata fuit: & nostra redemptio, qua tum demum plenissimè fruemur cum in quietis æternæ, cujus etiam Sabbatum monimentum fuit, portum perveniemus.

4 *Ista sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt: quo die Iehova Deus fecit cœlum & terram.*

5 *Et omnem stirpem agri, qui nondum fuisset futurus in terra, omnemque herbam agri, quæ nondum fuisset oritura: cum non demisisset Iehova Deus pluviam super terram.*

6 *Aut vapor ascendens è terra: qui irrigaret universam superficiem terræ.*

4 *Ipſa ſunt*) Altera capitis pars narrationis breviter ſuperioris repetitionem continet, in qua creationis ratio & modus accuratè deſcribitur. Primùm hoc verſu ejuſmodi fuiſſe dicit cæli & terræ ortum, qualem ſuprà expoſuit, & duplicem modum oſtendit nimirum ex nihilo creata fuiſſe, & hanc formam, ac faciem, quam videmus, divina ordinatione accepiſſe. Poſterioris modi cauſa efficiens indicatur Deus, qui hoc ſcripturæ loco Iehova nominatur, ut hanc rerum vniverſitatem, & illius omnibus numeris abſolutam pulchritudinem, & ornatum profecta eſſe intelligamus ab eo authore, à quo, per quem, & in quem ſunt omnia, ut interpretatur Apoſt. ad Rom. 11. v. vlt. Hæc enim eſſentiæ Dei appellatio, & ſapientiſſimum conditorem & potentiſſimum rerum conſervatorem Deum ſignificat.

5 *Et omnem*) Stirpium & herbarum creationem exponit, ejuſque modum in verſum ſeptimum. Duobus autem argumentis Dei potentiam illuſtrat. Primum niſi ſua unius virtute ſtirpes & herbas condidiſſet Deus, nulla terræ, aut ullis rebus creatis vis fuit, qua ederentur. Alterum à remotione cauſarum adjuvantium addita temporis *periſtaſeos*. Tum enim potenti verbo fecit Deus ut terra ſtirpes & herbas proferret, cùm nondum pluviæ cœlo demitterentur, neque eſſent homines qui terram colerent, neque vapor, qui terrem humectaret. Pluvia nunc confert plurimũ herbis, & plantis gignendis: terra enim velut ſinu ſuo recipit dimiſſam, & per radices herbarum, & ſtirpium diſtribuit in ſingulas partes. Homines verò terram paſtinando, ſtercorando, ſerendo & runcando fructibus adferendis commodiorem reddunt. Vapor denique qui è terra paulùm excitatus in rorem ſolvitur, convenientiſſimè terræ naſcentia humectat. At nullum horum adjumentorum initio fuit, cum ſtirpes & herbæ à Deo conderentur.

Aphoriſmus.

1 Vide quæ ſuprà in verſum primum annotavimus.

Re-

Rerum conditor & conſervator eſt unus Iehova Deus, in quo vivimus, movemur & ſumus. Act. 17. 28. In illo igitur uno acquieſcere, fiduciam collocare, & ab illo pendere debemus.

2 Solius Dei virtute abſque ullis adjumentis ſtirpes herbæ, adeoque omnes res compoſitæ, quæ nunc non ſine mediorum adjuuantium ope propagari videntur, initio conditæ fuerunt. Vnde mirifica, & ſumma Dei potentia in creationis opere perſpici poteſt.

3 Præterea Deus ſtirpes, herbas &c. repente juſſit exiſtere abſque ullis mediis, ut ex eo intelligamus ipſum hoc tempore non magis obſtrictum eſſe his adjumentis, quàm principio fuit, nec brachium ejus minutum, quin ſolus hæc omnia poſſit ſuſtinere, vt qui naturæ author & Dominus eſt, non autem naturæ obligatus.

7 Finxit verò Iehova Deus hominem de pulvere terræ, ſuſſlavitque in nares ipſius halitum vitæ, ſic factus eſt homo anima vivens.

7 F*inxit*) Hoc verſu hominis creationem, & octo verſibus deinceps ſequentibus locum in quo fuit a Deo collocatus, deſcribit. Hominis conditi author fuit Iehova Deus, fingit corpus, & corpori animam inſpirat, diſtributione igitur integri deſcriptionem illuſtrat, & utrumque membrum ſuis cauſis. Corpus enim humanum è pulvere fingitur, anima verò à Deo infunditur. Appellatur autem vitæ halitus, id eſt, vitalis, à propria animæ functione: nam abſtruſa animæ eſſentia non aliter quàm ex effectis intelligi poteſt. Vtcunque tamen voce *Niſmath* in genere Spiritum eſſe cognoſcimus: Quòd autem in nares infunditur, animæ primarium indicatur domicilium, quod eſt cerebrum.

Sic factus eſt homo) Effectum narrat & generis illuſtrat: quod ita interpretari debemus, ut hominem in genere

genere animantium esse, & animæ intelligentis diuinitus infusæ participem intelligamus. Illud arctè tenendum est unius hominis unam, & simplicem formam, ac animam esse, cujus sunt facultates multæ, communis cum stirpibus, & belluis, naturalis. Cum belluis, sentiens, propria vis intelligendi, quam mentem appellamus, Per. difficilis hîc sanè quæstio solet à doctis agitari, an parentes in posteris Adami animam vti corpus propagent in liberos. Nos gravissimos authores secuti firmiter tenemus à Deo nobis creatas infundi animas. Nam vt initio una cum corpore ex elementari aliqua materia extitit, sed extrinsecus accessit Adami anima, sic à Deo conditæ posteris infunduntur, quæ à corporibus morte disjunctæ ad Deum & fontem boni redeunt. Eccles. 12. 9. Redit ipse pulvis in terram quemadmodum fuit, spiritus autem redit ad Deum qui dedit illum: ex quo perpetuò licet animadvertere et animas hominum à Deo esse, & à corporibus separatas immortales, aut quæ seorsum subsistant, & actus perpetui maneant. Quod de propagatione brutorũ animantiũ objicitur id facile refelli potest: magna enim brutorũ, & nostri ortus dissimilitudo fuit, atque adeò manet. Deus enim jussit terram producere animantia in speciem suam: finxit verò corpus humanum, & in nares ejus inspiravit animam intelligentem, quæ à parentibus transfundi in liberos non potest: nam aut tota aut pars aliqua transduceretur, quod a vero longè abhorret. Tota enim traducta, interirent necessariò parentes, & simplicis essentiæ pars esse nulla potest.

¶ Dilemma illud de propagatione peccati magis pungit: Aut, inquiunt, corporibus puras infundit Deus, aut impuras animas. Si puras, unde peccati labes? Si impuras author peccati erit, quod absque blasphemia dicatur. Puras à Deo condi non dubitaverim, cum à fonte puritatis nihil nisi purum promanare possit. Verùm quod impuræ sint, primùm ex corporum conjunctorum contagione attrahere, ut ab impuro vase unguentum, quo præstan-

tiuseo citiùs efficitur: verisimile est deinde quia illud certum est Adam, ut sibi et suis Dei imaginem acceperit, ita sibi & suis amisisse: cùm primùm enim anima condita, & infusa hominis esse cœperit, Deo statim desertente, peccati parentis primi rea, adeoque impura existit. Sed hic animaduertendum neq; corpus hominis, neque animam Adami sobolem censeri sed hominem corpore & anima constantem, qui cùm Dei imaginem lapsa primi parentis amiserit, quid dubitemus totum hominem adeoque totius partes singulas quatenus sunt totius, & in toto, corruptas, & impuras dicere? Præterea objicitur sex dierum spatio rerum creationem absolutam fuisse, ut absurdè jam hominum animæ creari dicantur. At tritum illud & verè dictum nullas jam rerum species creari. Hic vero admirabili Dei sapientia & providentia alteram hominis partem nimirum animum creari, quæ cùm sit spiritus ab alio, quàm conditore proficisci non potest, spiritus enim spiritum non gignit.

Aphorismi.

1 Refert Moseches Deum finxisse hominem ex pulvere terræ, qui natura friabilis facilè in ventos abeat. Nemo igitur sibi ultra modum in carne sua placeat. Plusquàm enim stupidus est, quisquis humilitatem inde non discit. Hoc argumento posteà cap. 3. 9. utitur Deus ad indicandum hominis infirmitatem.

2 Habet tamen homo de quo præ cæteris animantibus in Domino glorietur. Nam quod paulatim formatus est, peculiaris in hoc ostensa est ejus dignitas. Cur enim Deus viuum non statim è terra iubet exire, nisi vt privilegio quodam pro omnibus, quæ terra produxit, emineat? & illa singularis prærogatiua sit hominis ad Dei imaginem conditum fuisse hominem, de qua suprà.

3 Idcirco si rectè Dei beneficia expendimus, quo

in nos ampliora contulit, eo magis accendi debemus ad Dei bonitatem prædicandum, gratiasque ei agendum: & ita bonorum amissorum jacturam deflere convenit, vt omni studio instauratione in Christo Iesu expetamus

8 *Ornauerat autem plantis Iehoua Deus hortum in Hedene ab Oriente: vbi collo caute hominem illum, quem finxerat*

9 *Feceratque Iehova Deus ut germinaret è terra illa quæ vis arbor desiderabilis ad aspectum, & bona ad cibum: arbor quoque vitæ in horto illo, & arbor scientiæ boni & mali.*

10 *Fluuius autem procedit ex Hedene ad irrigandum hunc hortum & inde sese diuidit, fitque in quatuor capita.*

11 *Primi nomen est Pischon: hic est qui alluit totam regionem Chauila, ubi est aurum.*

12 *Et aurum illius regionis præstans: ibidem est bdellium & lapis Sardonyx.*

13 *Nomen vero fluvij secundi est Gichon: hic est qui alluit totam regionem Cuschi.*

14 *Et nomen tertij fluvij, Chiddekel, hic est, qui labitur ad Orientem Assyriam versus: fluuius autem quartus est Euphrates.*

8 PLantauerat) De hominis conditione, & officij ejus ratione dicturus locum priùs describit, in quo à Deo collocatus fuit. Locus est hortus a mœnissimus, quem ipse Iehova Deus in orientali Hedenis tractu conserit. Significat vox *Heden* delitias, siue delitiarum locum, hic vero proprium loci nomen ab amœnitate dictum.

9 Feceratque) Hactenus efficiens horti, & subjectum fuit: sequitur altera pars descriptionis ex adjunctis primùm arboribus, hoc versu: deinde regionem alluentibus fluviis. Arborum distributione, & quarundam singularum enumeratione primum

mem

membrum illustratur. Arbores enim partim ipsa specie, & pulchritudine desiderabiles, partim utiles, & in cibum necessarias in horto plantavit, ut nihil ad voluptatem, nedum ad necessarios usus homo desideraret. Erant præterea arbor vitæ, & arbor scientiæ boni & mali. Illa symbolum fuit Adamo vitæ divinitus acceptæ, & in Christo Iesu conseruandæ, si in obsequio conditoris permaneret. Effectum autem rei significatæ, signo tribuitur. Christus enim vita nostra. Ioh. 1.4. cap. 14. 6. Ad Colossenss. 3.4. Arbor vero scientiæ boni & mali monimentum divinitus institutum fuit experientiæ boni & mali. Adamum enim admonebat certò futurum, ut quo primùm tempore vesceretur fructu illius arboris, experiretur à quanto bono excideret, & in quantũ malũ ipse prudens rueret. Non solùm igitur verbo sed etiã symbolo edoctus fuit cõditione se mutabili conditũ, fuisse ve necessarium ei fuerit Dei interdictum de quo infrà v. 16.

12. [*Luvium*) Regionem Hedenis, in qua hortus ille fuit, quatuor fluentis ab imo Euphrate dilabentibus, accuratè describit. Primum est Pischon alveus Euphratis, qui Tigri junctus sub Apamæa ab aris Herculis in sinum Persicum longo tractu volvitur. Ab accolis Pasi-Tigris, seu potiùs Pischo-Tigris appellatur, & Babyloniam ab oriente sole claudit. Describitur à Mosche à subjecta regione quam alluit, quæ adiunctis rebus pretiosissimis commendatur, auro, eoque præstanti, Bdellio arbore, & gemma sardonyche, quibus abundat regio illa Chavilæ, quæ Susiane a Susis metropoli etiam dicitur. Secundus fluvius est Gichon citimus respectu nostri Euphratis alveus, qui à Chaldæis Naharseres, id est, fluvius diductus appellatur, quòd totus fermè irrigandis agris diduceretur. Babyloniam ab occasu, & meridie dividit à terra Cuschi, quæ à Cuscho Chami Filio nomen sortita. Primùm significat tractum illum ad sinum Persicum, qui subest

Chaldæis paludibus in quibus disperit, & consumitur *Gihon*. Secundò Arabias tres, Desertam, Petræã, & Fœlicem: Tertiò Æthiopiam, & Troglodyticam regionem, in quam ex Arabia Fœlice Cuschi posteri commigrârunt, & à generis authore nuncupârunt. Tertius fluvius est Chiddekel, qui suprà Seleuciam influit in Tigrin, cuius nomen mutuatur, & à Septentrione & Ortu Messænen insulam à Seleucia â pamæam usque efficit. A situ Mosches describit: labitur enim in Orientem, Assyriam versus. Quartus alveus nomine tantùm discretus nihil ad circumscriptionem pertinet: mediam autem regionem secat, & Euphratis nomen obtinet *cat exochen*. Quo verò melius Edenis & horti illius situm intelligas commodum erit in tabulis Chorographicis divisionem Babyloniæ intueri. Eam dividunt in Amordaciam Meridiem versus, Chaldæam Medianam, & summam Auranitida ad Euphratem fluvium. Cum igitur vt suprà versu octavo legimus hortus ille fuerit in Orientali Edenis tractu in Auranitide regione certo statuimus, & toto cœlo errare arbitramur, qui terrestrem illum Paradisum, vel in aere collocârunt, vel Gange, Nilo, & qui ridiculi maximè Danubio definiverunt, cùm tam accurata descriptione Mosches, quasi in rem præsentem venisset, oculis subiiciat, cui etiam diligentissimi Chorographiæ scriptores, ut locorum, & fluviorum appellationes ab ijs usurpatæ mirificè consentiunt.

Aphorismi.

1 Vniversi hæc loci descriptio tam accuratè proposita est à Dei spiritu, nostræ infirmitati consulens, ut nos rejecta fabularum vanitate veritatem historiæ de nostri generis ortu firma animi persuasione teneamus.

2 Præterea regionem nobis fertilissimam & amænissimam describit: eam enim tot fluvii circumfluunt & intersecant, ut non mirum videatur, quod scribit Plinius

nius lib. 18. naturalis historiæ cap. 17. Babylone segetes bis secare, tertiò depascere: alioqui folia tantùm fierent. Et Curtius de agro Babylonico, resudat, inquit, toto fere solo humor, qui ex vtroque amne manat per aquarum venas, & solo Babylonico fœcunditatem affert maximam. Nihil autem amœnius tot aquarum interamnis terræ ripis alluentium decursibus. Ad regionis laudem etiam pertinet, quod vicina loca rebus pretiosissimis, auro, Bdellio arbore, & gemmis affluant: ex quibus perspici potest, quanta rerum copia, quanta amœnitate, quamque liquidis voluptatibus abundârit primus parens in regionis fœcundissimæ horto constitutus, omni herbarum, arborumque genere consito, quæ aspectu jucundissimæ, & fructuū dulcedine suavissimæ fuerunt. At quàm ampla fuit Dei Patris optimi beneficentia, tam Adami fœda ingrati animi nota, qui agnitam amplexus perpetua prædicatione, & erga largitorem obsequio non celebravit. Iam verò quid nobis fiet si non terrenis, & fluxis bonis, sed æternis & cœlestibus collocupletati in Christo Iesu in simile ingrati animi, & contumaciæ exemplum inciderimus.

15 *Accipiens itaque Iehoua Deus hominem, collocavit ipsum in horto Hedenis ad colendum eum & ad custodiendum eum.*

16 *Interdixitque Iehoua Deus homini, dicendo: de fructu quidem omnis arboris huius horti liberè comedes.*

17 *De fructu verò arboris scientiæ boni & mali: de isto ne comedas: nam quo die comederis de eo, utique morituris es.*

15 (*Accipiens*) Exposita statione hominis, quæ multum confert ad intelligendum meliùs historiam lapsus humani, nunc vocationem & officij hominis à Deo condit explicationem subjicit. Primùm ostendit

alijunde translatum, ac proinde alibi conditum, quàm in horto: Secundò fuisse in horto collocatũ. Tertiò non frustra, sed ad officium suum in horto perfungendum. Officiorum autem quę homini tribuit Deus, genera sunt duo, unum corporale, alterum spirituale, hoc pietatem & pietatis officia in Deum respicit, illud vitæ degendæ rationem, & humana cõmoda, quod hoc versu duobus verbis exponitur, colendi hortũ et custodiendi, id est, tum labore acquirendi, tum res labore partas conservandi ad usum & necessitatem præsentis vitæ. Sic enim synecdochicè uno Adami exemplo omnia posterorum quæ ad hanc vitam pertinent, officia complectitur, ut quamcunquæ vitæ rationem sequuntur, honestis & legitimis actionibus rem acquirant, & partam ad hanc vitam tuendum conservent: fuit autem cultura in proscissione horti, irrigatione, satione & similibus, custodia in culturæ tuenda dignitate posita.

16 *Interdixit*) Alterum officij genus duobus versibus ostenditur. Et quoniam homini licet intelligenti animæ prædito, & puro adhuc ac integro officij, & in Deum pietatis colendæ regulam præscribendi non est potestas facta, narrat Mosches Iehovam Deum pietatis & officij metas Adamo præstituisse. Interdictum igitur promulgat, & severiter vetat, ne fructu arboris scientiæ boni & mali vescatur, quo primùm, ut suprà paucis indicavimus, Adamum præmonet libero arbitrio, & mutabili voluntate esse conditum. Deinde ut caveat studiosè, ne gradu fœlicitatis decidat: dum enim fructu arboris interdicit, etiam atque etiam vetat, ne sciens prudens ab illa qua conditus fuit vitæ conditione labatur. Qui verò queruntur arborem scientiæ boni & mali in horto fuisse positam, quæ lapsus occasionem homini offerret, impiè sentiunt: perinde enim est, ac si quererentur hominem non esse parem Deo, & immutabilem. Nihil enim per se simplicissimum, æternum, ac immutabile, nisi unus Deus qui cum hominem permisit sibi, illi injuriam non fecit

sed

sed gloriam suam asseruit sibi. Interdictum suadet variis argumentis: Primùm liberum permittit homini, ut fructu cujusvis arboris horti illius vescatur, qui cùm tam multa possessione, & usu suo tam amœna, tam utilia sibi Dei beneficio exposita haberet, ab usu illius arboris abstinendum fuit. Alterum ab adjuncto arboris sumitur. Est enim arbor scientiæ boni & mali, quæ testis fuit & documentum aspectabilis libertatis Adami, si abstineret: verùm si contra Dei interdictum vesceretur, instrumentum perditionis illius. Arbor verò causa efficiens perditionis non fuit, sed homo ipse libera voluntate malè usus, qui se, & illā perdidit, ut scribit Augustinus in Enchiridio ad Laurentiū c. 30. Tertium argumentū ab eventu & pœna gravissima, ninirum morte, quam contra interdictū vescenti interminatur, mortem intelligit tam spiritualem, quàm corporalem. Est autem mors corporalis animæ separatio à corpore, & corporis in pulverem interitus: quo etiam nomine intelligamus humorum corruptionē, miserias, ærumnas, & infinita vitæ hujus incommoda ad primam mortem ducentia. Spiritualis verò, quæ secunda dicitur est pœna illa æterna, quæ impios in inferno manet: hic etiam ea intellige, quæ ad secundam mortem ducunt, interiorem totius hominis corruptionem, quæ originis peccatum vocatur, quæ nos ad omnem veri boni speciē ineptos & ab omni vero bono aversos, & peccati servos efficit: & abalienationem à vita Dei, qua fit, ut vivi revera sint in mortuis. De quibus Christus Mat. 8. 22. Mortui sepeliant mortuos suos.

Aphorismi.

1 Cum conditus sit homo non ad otium, sed negotium, non vt genio & voluptatibus indulgeat, sed honestis & vtilibus vitæ actionibus se exerceat, fugienda est otiosorum pigritia, & detestanda ignavia, præsertim cum nihil magis sit contrarium naturæ ordini, quem Deus constituit, quàm edendo, bibendo, dormiendo vitam consumere, nihil interea proponere quod agamus

Prov.12.10.cap.15.19.1.Pet.3.10.11. Laborandum esse præcipit Apost.ad Ephes.4.28.ut qui sit furatus operando manibus, quod bonũ sit, possit impertiri, cui opus fuerit. Porrò ut vigeat inter nos, quæ colenda est parsimonia, & in bonis, quæ Deus nobis dedit, tuendis sedulitas, cogitet quisque se in omnibus quæ possidet esse Dei Oeconomum. Ita fiet, ut neque se dissolutè gerat, neque abusu corrumpat, quæ Deus vult servari.

2 Homini puro & integro adhuc statu non permittit Deus potestatem quicquam statuendi de ipsius cultu, sed hunc sibi honorem illibatum servat. Teneamus igitur observationem Iehovæ 2. Paralip.13.vers.10.11,& omnem *ethelothreskeian* fugiamus ad Col.2.23.

3 Castè, ac piè Deum colentibus abundè suppetunt omnia: est enim pietas ad omnia utilis, vt quæ promissionem habeat præsentis vitæ, & futuræ 1.ad Tim. 4.8.

4 Si Adamo fuit opus sacrosanctis symbolis, quibus de officio erga Deum admoneretur, quanto magis erit nobis, qui natura pravi, corruptique sumus: idcirco agnoscamus immensam Dei bonitatem, non solùm verbi sui prædicatione, sed etiam sacramentorum usu in salutis doctrina erudientis. Mat 28.19.20.

5 Dei minas effectu suo nunquam carituras etiam atque etiam nos expendere, & vereri convenit.2.Reg 9. 36,& cap.17.23.

6 Objici posset cum hæc sententia *omnino morituras es* pugnare rei ipsius eventum: nec enim statim mortuus est Adamus, nec dejectus de omni expectatione vitæ, ut ex capite sequenti apparebit. Respondeo per Adamum non stetisse, quo minus & morte conficeretur repentè, & in æternum periret: quod autem pœna fuit mitigata, & spes illi facta æternæ vitæ Dei misserentis, & ex gratuita electione in semine mulieris Iesu servantis, gratiæ tribuendum est.Rom.8,30.ad Ephes.2.8.

18 *Dixerat autem Iehova Deus, non est bonum esse hominem solum: faciamus ei auxilium commodum ipsi.*

19 *Nam cum formavisset Iehova Deus è terra omnes bestias agri, omnesque volucres cæli, & adduxisset ad Adamum ut videret, qui vocaret singulas (etenim quocunque nomine vocavit illas Adam, animantem quamque: id nomen eius est.)*

20 *Vocavisset Adam nominibus pecudem quamlibet, & volucrem cæli, omnemque bestiam agri: non aderat Adamo auxilium commodum.*

18 D*ixerat*) *Hysteroseí* narrationis conditam à Deo mulierem narrat in versum 23. Primùm Dei consilium exponitur, & duobus argumentis confirmatur. Consilium his verbis, *Dixerat Iehova* &c. Authorem esse Iehovam Deum indicat, qui proponit sibi faciendam esse mulierem, cùm verò auxilium appellat, mulieris esse partes ostendit viro in vocatione in cumbenti adjumento esse, atque ita operam suam conferre, ut quasi ex adverso in obeundis communis vitæ officiis adsit, & commodè respondeat: id enim significat vox *Cenegdo*. Primùm argumentum ex adjuncto est: hominem enim esse solùm non est bonum: esse verò solum idem est, quod *agamon* & consorte destitutum esse. In attributo ambiguitas est in voce, bonum, quæ interdum propriè ut opponitur malo, interdum pro utili, honesto, & necessario *catachrestikôs* sumitur, ut hoc loco. Nam si hominis commoditatem, honestatem & vtilitatem spectes quadam necessitate conjunctam ad generis propagationem hominem consorte destitutum esse non fuit bonum. Quo sensu accipitur nomen boni ab Apostolo. 1. Cor. 7. 1. Non est, inquit, bonum, id est, vtile & commodum ut tum ferebant tempora homini mulierem attingere, ut planè sint insulsi qui ex Apostoli verbis conjugium in ma-

malis censent, quod ad Heb. cap. 13. vers. 4. Honorabile inter quosvis esse prædicat: aut ex hoc Moschis loco conjugij necessitatem concludunt, qui hominem esse solum non sit bonum.

19 *Num cum*) Alterum argumentum à dissimilitudine cæterorum animantium: Protasis disparatis Dei & Adami effectis exponitur, in hanc sententiam: Cùm Deus cætera animantia formâsset, & in hominis aspectum jussisset comparere, atque in ea jus homini, ac imperium attribuisset: Adamus verò nominibus & bestiis agri, & volucribus cœli, tam fœminis quàm maribus impositis, imperium accepisset, non aderat Adamo consors quæ vitæ commodè degendæ individua comes esset, ac socia. Ergo homini adjumentum condere æquum fuit & consentaneum, ne ipsis brutis animantibus, quibus præerat inferior videretur. De creatione animantium suprà. Hic utitur fingendi verbo, ut animantium effigiem, & corporum delineationem tam à Deo opificè profectã quàm infinita illius potentia materiam, ex nihilo creatã fuisse noverimus. Quòd verò solùm meminit bestiarum agri, & volucrum cœli, non autem piscium, in quos hominẽ dominari jussit, suprà c. 1. 28. sciendum est agi hoc loco de ijs animantibus, quibus cum homine domicilij commune esset, quæq; ad sua commoda, & ministeria adhiberet: pisces quasi diverso orbe habitant, nec citra naturæ damnum in hominis conspectũ venire, nedũ illius ministerio adhiberi potuerunt. Adducendi verbo intelligimus Dei nutu impellente bestias & volucres in hominis conspectum prodisse, ut ille diligenter expenderet quod verbo vivendi significat nudè imperium in bruta illa animantia acciperet, & accepto secundum Deum, & in Dei conspectu, ratione certa, & judicio uteretur, atque imponeret, quę rebus nomina responderent. Hæc enim omnia nominum impositio complectitur. Parentes liberis suis. Domini mancipiis & possessionibus imponunt nomina arbitratu suo, unde synecdochicè nomina rebus impo-

ponere nihil aliud significat, quàm in eas jus et imperiū obtinere. Sic de Deo loquitur Scriptura. Psal. 147. 4. Esa. 40. 26. vocat exercitum cœlorum in Dei nomine, id est, imperiū in res omnes, totumque exercitum cœli habet, ut solo ipsius mandato confestim ad obsequiū veniant.

Et quocunque) Hæc parenthesi includenda declarant effectum divini consilij, quæ homini in bestias & volucres tributum fuit imperium. Nam homo jure illo accepto ita usus est, ut singulis animantibus nomina tribueret, & illa ultrò ex Dei mandato homini parerent. Et quamvis homo familiari colloquio cum animantibus nostro more non sit usus, non dubium tamen, quin naturali, & voluntario ipsorum motu vocanti homini ad ministeria paruerint. Quam rem etiam in jumentis plærisque videmus obtinere.

20 *Vocabulumque*) Factum Adami commemorat, quo ille impositis nominibus in animantia imperium accipit, & eorum possessionem habet, atq; ita ad dissimilitudinis antapodosin accedit his verbis *non inderat Adamo &c.* Verbi Hebræi ambiguitas variam parit interpretationem. Nam si *metabaticos* sumatur suppositum erit Iehova vel Adam, ut dicamus vel Iehovam Adamo non inveniſſe auxilium commodum, vel Adamum sibi non inveniſſe. At si verbum *ametabaticon* esse intelligatur ut Num. 11. 32. Iud. 21. 14. 1. Reg. 14. 13. Eccl. 9. 14. sententia erit perspicua, non adfuisse homini, nec usquam comparuisse parem, ac vitæ consortem, quæ ipsi auxilium commodū adferret, quamvis in cæteris omnibus animātibus videret maribus fœminas, quæ illis essent adjumenta conjugii. Hic admirabili Dei providentia factum, ut cæteræ animantes binæ statim existerent. Homini verò priùs consors non conjungererur, quàm suæ necessitatis conscius esset, ut singulare Dei beneficium esse ampliùs agnosceret.

Aphorismi.

¶ Condidit mulierem Deus, quæ esset viro adjumentū neque

neque enim ut ait Apost. 1. ad Cor. 11. 9. Conditus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum: debet ergo mulier se viro subjicere & eum in vocationis negotiis omni studio juvare. Ad Ephes. 5. 22. Quod secus accidit, id pravitati à labe nativa profectæ imputandum est.

2 Cum Dei ordinatione honestum & vtile sit conjugium, qui illud violant, & abutuntur severissimè puniuntur. Ad Heb 13. 4.

4 Quod multa animantium genera non modò hominis imperio se subducunt, sed etiam infesta vim illi interdum inferunt, nostro in Deum admisso peccato accidit, quo jus & imperium nobis in animantia tributum amisimus, Nec justius quicquam fieri potuit, quàm ut nostri imperii jugum excuterent animantia, cùm nos Deo parere abnueremus, illa enim ut nobis servirent condita fuerunt, si in Dei obsequio permaneremus.

4 Sic homini tributum fuisse jus & imperium in cætera animantia intelligamus, ut secundum Deum imperium acceperit, & creator, Dominus proprietarius remanserit, homo verò, perpetuarius colonus, & ut vulgo loquitur Vasallus à Deo constitutus. Id circo Adamum imperium acceptum, & in Christo nobis recuperatum sic nos exercere convenit, ut tanquam in Dei conspectu jure nostro legitimè vtamur, fruamur. Non enim licet pro libidine animi Dei donis abuti. Animadvertendum præterea à cæterorum animantium exemplo admonitum fuisse Adamum de sui adjumenti necessitate, ut ille ratione & intelligentia donatus, Dei opus attenderet, beneficij ejus magnitudinem agnosceret, & authorem celebraret.

21 *Quapropter iniecit Iehova Deus soporem altum in Adamum quo obdormivit & desumpta una de costis eius inclusit carnem pro illa.*

22 *Exstruxissetque Iehova Deus ex costa illa, quam sum-*

sumpserat de Adamo, mulierem: amque adduxit ad Adamum.

23 *Tum dixit Adam: hac demùm vice adest os ex ossibus meis, & caro ex carne mea: hac vocabitur vira, eo quòd hac ex viro desumpta est.*

24 *Idcirco relicturus est vir patrem suum, & adhærebit uxori suæ, eruntque in carnem unam.*

25 *Erant autem illi ambo nudi, Adam & vxor eius: ac non erubescebant.*

21 I*Niecit*) Narrat, quo pacto Deus consilium suprà propositum de condenda muliere prosequatur hoc versu, & priore versus 22 parte: deinde conjugij institutionem, & leges in perpetuum duraturas vers. 24. ac primùm efficiens causa declaratur. Ichova enim Deus mulieris æquè ac viri author & conditor est. Circumstantia temporis observatur. Nam cum arctissimus somnus Adamum complecteretur, quem in eum Deus immisit, ex desumpta illius costa mulierem effingit. Plerique immissum divinitus fuisse somnum dicunt, ne Adamus dolorem sentiret ullum, cùm costa desumeretur, quem admodum medici *hypnotica* adhibere solent, ut, sine in incommodo curationis, & gravi eius, qui curandus est, sensu medicina fieri possit. At illa verior causa est ex altissimo somno demersi latere costam fuisse desumptam, ne in condenda muliere nullæ viri partes fuisse viderentur, & tam fœminæ conditæ, quam aliarum rerum omnium creationis laus in solidum uni Deo tribueretur. Deinde apparatum fuisse illi à Deo commodum auxilium, cum de eo per arctissimum somnum ne suspicari potuisset, ut singulare illud Dei beneficium esse agnoscere nullo suo merito, aut labore acquisitum. Materiam sumit non carnem, sed os, quod natura firmitatem, & rebus sustentandis ac juvandis vim habet, vt virum juvandi partes mulieri tributas esse doceat: & os non quodvis ex capite, aut pede, sed viri costam, ut fœminam, neque principis loco habeat, neque ut vile manci-

cipium contemnat: sed vnicè diligat vitæ sociam, & administram: mulier verò admoneatur, vt viro se subjiciat, & amore eum singulari prosequuta omni ope, & studio illi fieret auxilium accommodum. Et quoniam exemptâ Adami costa vel infirmior, vel in corpore deforme aliquid videretur, Deus locum vacuum ita carne opplevit, ut quamuis de corporis substantia detractum esset aliquid, nihil tamen de viribus, aut formæ elegantia minutum fuit, ut, nisi Dei spiritu Adamus fuisset edoctus non animadverterit.

22 *Extruxit*) Formandi actum verbo ædificandi exponit, quod idem est omni verbo fingendi, quo usus est suprà tam in animantium, quàm hominis efformatione. & si magna fuerit materiæ dissimilitudo. Quòd ad mulieris animam attinet ex analogia, diuinitus à Deo infusam piè credimus.

Et adduxit) Prima conjugij institutio, quæ Deum ipsum authorem habet, cùm homo in integro esset statu, & omni deliciarum genere in amœnissimo horto affluret. Forma partim in Dei actionibus, partim in hominis posita est. Sicut enim priùs in hominis conspectum Deus animantia adduxit, ut ille impositis nominibus in omnia imperium acciperet. Sic mulierem, quam in auxilium homini commodum efficit, coram sistit, ut in manum viri conveniens illi adjumentum fiat, & indiuidua vitæ cum eo consuetudinem colat.

23 *Tum dixit*) Altera pars formæ. Adamus enim solenni more adducram à Deo accipit in finem suprà expositum, & os ex ossibus suis, carnem ex carne sua agnoscit, & acceptationem impositio nomine idoneo conjugi, ratam ac firmam esse testatur. Temporis circumstantia comparationem fieri ostendit inter vicem illam, qua Deus ad Adamum cætera animantia adduxit, & hanc vicem, qua vxorem exhibuit, quasi dicat prius fuisse defectum, nunc autem speciei perfectionem. esse Ita Dei beneficentiam erga se profitetur, vt professione

sua

sua, & Deo gratias agat de præsente bono, & sibi gratuletur. Quàm verò arctè sanguinis communione, & & naturæ lege sibi uxor sit conjuncta declarat his verbis *Os ex Ossibus suis, & caro ex carne sua*. Quæ interdum sine tropo, interdum modificatè dicuntur, vel per synecdochen, vel per metaphoram. Quoties per synecdochen efferuntur significant propinquum & consanguineum. infrà Cap. 26. vers. 14. ait Laban Iacobo profectò os meum & caro mea es, id est, mihi consanguineus. Sic Iudic. cap. 9. vers. 2 & 2. Samuel. cap. 5. vers. 1. At cum dicimur à Paulo ad Ephes, cap. 5. vers. 30. membra esse corporis Christi ex carne ejus & ossibus ejus per metaphoram indicatur arctissima conjunctio illa, qua per fidem Christo insiti, & illius spiritu donati cum eo, ut membra, in mysticum corpus coalescimus. Hic vero etsi simplicibus verbis vtatur, tamen etiam modificata oratio debet intelligi. Nam Adam & Eva non solùm communione sanguinis fuerunt conjuncti, sed etiam conjugii divina lege obstricti, quod & agnoscit, & profiterur ipse Adam, perinde ac si diceret: agnosco hanc mulierem quæ ex Dei consilio mihi in manum convenit, ex costa mea carne circumvestita factam, summa naturæ necessitudinie mihi conjunctam est. Interim animadvertendum Adamum Dei spiritu actum Prophetam agere: qui enim altissimo demersus somno, & velut omnis sensus expers ex costa sibi detracta efformatam fuisse mulierē sciret? Nomen autem ex conjugatis tribuit Adam uxori suæ, & ipse ex materia nominis addit notationem. In Hebræis aperta est verborum conjugatio *Isch Ischa*, quam interpres cum veteribus Latinis exprimit vocibus (vir vira) Apud Festū legimus Querquetulanas viras significari nymphas præsidentes querqueto virescenti intra muros urbis, inde Querquetularia porta dicta est. Appellatione igitur viræ agnoscit Adam conjugem suam ejusdē esse speciei, quan vis numero & sexu differentem, & ipso nomine naturæ,

&

generis humani machinantis intelligi debet. Illius enim impulsu ex agro in hortum occultè intrat spiritus sese convolvens, inscio marito ita se mulieri objicit, vt nova specie in colloquium prolectet, & ultrò ad sermones serendum invitet. De serpentis gestu, & an erecto pectore incesserit, an verò suo more repserit, pòst erit dicendum.

Ille dixit.) Hìc modus est: colloquio enim cum serpente habito decipitur Eva, quo primùm Satan verbi Dei authoritatem labe factat & fidem ei detrahit, vt hæsitans animo mulier labascere incipiat. Nam perinde argumentatur, ac si diceret, credibile ne est Deum, qui in res omnes homini imperium attribuerit, & omnia tum bona, tum in hominis vsum fecerit, homini interdixisse, ne ex omni, id est, quovis arboris horti fructu vescatur? Interrogationem adhibet, quæ & dubitationem gignat, & dubitantem vi magna in ruinam impellat.

Tum) Mirata mulier haudquaquam novitatem temere sermonem cum serpente instituit, quæ culpa illius prima, & factum imprudens fuit. De re enim maxima, nimirum, Dei veritate & gloria, hominisque salute absente viro, cujus imprimis Dei veritatem à mendacio vindicare partes erant, illi disserendum non fuit. In responsione primùm Dei liberalitatem erga se asserit adversus satanam: deinde quid vetuerit, et qua sanctione declarat. Nam sibi, & viro magnam fructuum copiam, & varietatem concessam prædicat, vt neque durum, neq; molestum videri debeat, quamvis Deus esu fructus unius arboris ipsis interdixerit. Interdictum verò disertè recitat, & religiosè interpretatur. Ait enim Deum vetuisse, ne comederent de fructu arboris illius, quæ fuit in medio horti (sic ex adjuncto situ arborem scientiæ boni & mali describit:) illud autem non attingere ex Hebræorum idiotismo, quo ex antecedente consequens intelligitur, significat nulle

nullo modo decerpendum esse fructum illius arboris, ut eo vescatur. Sanctionem autem ita repetit addita dubitandi particula, ne fortè, ut Serpentis oratione à sententia paulùm dimota videretur, & Dei comminationem, uti par fuit, non tantoperè vereretur.

4 *Dixit verò serpens ille mulieri, non*) Mulierem paulum hæsitantem sic excipit, ut contradictione & si non aperta in ruinam mox trahat. Hæc enim contradictio non moriendo moriemini inverso vocum ordine, mortis denunciatæ negat certitudinem, ex usu linguæ Hebreæ. Id probat serpens sequenti versu ex ipsius interdicti causa, quam calumniosè fingit in Deo, & effectis si comedant ex fructu vetito. Ait enim si Adamus & Evavescantur fructu illo fore, ut quasi apertis oculis perspicacius res videant, & boni malique cognitionem adepti, Deo verè similes evadant, quod Deus cum probè noviſſet, ideò severè interdixisse, ne in societatem gloriæ hominem admitteret, sed inferiori gradu semper eum teneret: sic verè diabolus, id est, calumniator Deum invidentiæ insimulat, quasi quod summum hominis bonum fuit, id illi Deus invidisset, & non jure, sed pro libidine animi hominem in inferiori dignitatis gradu collocasset. Esus effecta prædicat fore, primùm ut aperiantur oculi eorum: quibus verbis ostendit res omnes perspicacius contemplaturos, ut prior cognitio cæcorum, aut caligantium videri posset præilla, qua ex esu vetiti fructus imbuendi essent. Nam cæcâ fuisse corpore, aut non animo dicit. Vidit enim mulier serpentem sibi obvium, quibus fructibus vescendũ esset, à quo uno abstinendum: memoriter autem Dei mandatum recitat, germanam interdicti sententiam reponit, Dei liberalitatem agnoscit, & prædicat. Comparatè igitur sunt illa intelligenda de apertione oculorum, & ad animum referenda. Quę sit verò eximia, et præstans illa cognitio mox indicat scientiæ boni & mali nomine. Sed ille

verbi homonymia usus sophisticè aliam boni & mali scientiam intelligi vult, quam eam, quæ interdicto exponitur. Scientia enim boni & mali aut ea est, qua mens sic novit bonum vt ipsa sit bona, malum verò, vt à malo absit: aut scientia boni & mali est, quæ in utriusque participatione & experientia posita est, quæ in nemine esse potest, nisi bono prius abdicato, se addicat malo. Deus priori modo scientiam habet boni & mali, vt etiam electi angeli: altero modo diaboli & homines, ex quo defecerunt à conditore suo, boni & mali scientiam habent. Priorem quamvis serpens ille ostentet scientiam, in qua situm esse vult maximum hominis bonum cuius participes fore promittat, si fructu vetito vescantur. Tamen malitiosè altera illa, quam ipse maximo suo malo didicit hominem omni studio conatur imbuere. Sic ille gratuitò malus fœlicem homini statum invidet. Quid sit autem scientia illa, quam jactat, paritura ostendit his verbis (& eritis sicut Dii) Persuadet enim fœminæ majorem aliquam cum Deo similitudinem, & divinas virtutes hoc facto adepturam, ut Adamus & illa non ad Dei imaginem conditi, quàm ipsi Dij videantur scientiam illam assecuti, qua una divinæ gloriæ consortes esse possint. Temporis circumstantia utrumque argumentum amplificat. Nam quo primùm tempore fructum illum comedant, promittit summam fœlicitatem continuò adepturos: vnde subinnuit maturandum esse, & occasionem arripiendam, vt tam præsenti bono frui possint.

Aphorismi.

1 Cum mille modis insidietur nobis Satan atque in angelum lucis se transformet, vigilare & sobrij esse debemus. 2 Cor. 11. 14. 1 Pet. 5. 8. 9.

2 Prima diaboli fraus esse solet verbi Dei authoritatem labefactare, & ne firmum & verum esse credatur, efficere. Testes & in veteri Ecclesia & in Christiana pseudo

doprophetæ omnes, qui spiritu erroris acti Dei verbo sua deliria & interpretamenta perversè antepoſuerunt.

3 Evæ factum cavere monet, ne Diaboli vocem vel momento audiamus, ſed ipſum omnibus modis propulſemus. Act. 4. 7. Deinde conditionis noſtræ habendam eſſe rationem, & rerum de quibus diſſeratur. Non enim cuivis temerè de rebus ſententiam ferre, nedum ſtatuere licet.

4 Nihil ab Eva indignius factum, quàm quòd patienter audierit beluam ſeſe inſinuantem, quaſi maiori ſtudio & amore hominem complecteretur, quàm ipſe creator, à quo jam tot egregiis dotibus eſſet ornatus.

5 Si quam fallax ſit ſpes amplioris boni, & commodi, & quàm periculi plenum non ſua ſorte contentam eſſe experta eſt Eva, nos monitos eſſe vult, ne in eundem lapidem impingamus, ſed pro menſura doni Chriſti nos in omni vita geramus, ad Epheſ. 4. 6.

6 Obſervandum quibus gradibus Satan hominis exitium machinetur. Primùm Dei interdictum elevat quaſi abſurdum & non credibile eſſet, Deum vetuiſſe ne ex quavis arbore comederent, deinde quam dat muli er dubitandi particulam arripit, & contradictione divinæ comminationis certitudinem negat. Tertiò non dubitat Deum inſimulare invidiæ, & magiſtrum præ ſe ferre, qui ſolidam & veram fœlicitatem conſequendi rationem doceat.

6 *Quum ergo videretur mulieri eſſe bonum fructum arboris illius in cibum, & gratiſſimum eſſe illam oculis, ac deſiderabilem eſſe arboris fructum ad habendum intelligentiam: accepit de fructu eius & comedit, etiamque dedit viro ſuo ſecum comedendum, qui comedit.*

7 *Tunc aperuerunt ſeſe oculi amborum noverunque ſe nudos eſſe, & conſutis foliis ficulneis fecerunt ſibi fubligacula.*

8 *Deinde audiverunt vocem Iehovæ Dei ſtantem per hortum ipſum ad ventum illius diei: quare abſcondit*

se Adam & uxor eius à facie Iehoua Dei, inter arbores illius horti.

ET (*vidit*) Quid sua oratione serpens ille antiquus effecerit, Moſches commemorat hoc versu, ac primùm fœminæ lapsum, deinde viri. In fœminæ lapsu mentis ipsius corruptionem ostendit, qua simul reliquæ animi & corporis facultates afficiuntur, ut continuò ex fructu vetito comedat. Sic enim vidit mulier, & statuit cum animo suo non certò uti serpens persuaserat, se moriturã, quamvis ex fructu quo interdicebatur, comederet, deinde mentienti diabolo ita credit, ut ex esu vetiti fructus scientiam se adepturam confidat, qua Deo ipsa & maritus pares possint evadere. Proxima igitur, et interna lapsus causa est *apistia*, qua deo comminanti fidem mulier abrogat, & diabolo mentienti subscribit: atq; ita infidelitate mens corrupta veram illam lucem, & puram intelligentiam, quę fuit ad Dei imaginem condita, perdit amittit. Id Moſches ex corruptę mentis Evæ judicio demonstrat: nam vbi illa relicta veritate cœpit mendacio acquiescere sic de arbore illa judicat, quamvis illius esu Deus interdixisset, ut statuat bonã esse, & vtilem in cibũ aspectu jucundã, et omnino desiderabilẽ, quod intelligentiam afferre putet, in qua omnibus numeris absolutam hominis felicitatem sitã esse arbitratur. Iudiciũ hoc mẽtis sequitur depravatæ voluntatis appetitio, quæ sensus omnes ita corrumpit, ut impuro aspectu ipsã arborẽ intueatur, & cordis ipsius concupiscentia non priùs exhibeatur, quàm illa fructũ decerpat veritum, comedat, marito etiam suo porrigat. Priùs vidit arborem esse bonam, & quatenus à Deo creata, & instituta fuit, ut hominem doceret mortem ipsi obventurã, si ab obsequio conditoris sui deficeret: at tum ne attingendã esse persuasissimũ habuit, vt suprà Dei interdictum ipsa est interpretata. Impurus igitur aspectus ex impuro cordis affectu, & appetitione, appetitio autem ex corrupto mentis judicio quod re vera malum fuit, bonum existimantis, corrup-

tum

tum verò mentis iudicium ex infidelitate fidem Dei verbo abrogante, & mendacium amplectente natum est. Adamus autem sive ijsdem argumentis, quibus vsus est serpens ab Eva repetitis, siue blanda conjugis suæ compellatione, & fructus oblatione deceptus, in eandem *apistian* & idem impietatis genus incidit. Verùm quod scribit Apost. 1. Timoth. 2. 14. Adam non fuit seductus nimirum à serpente, sed mulier seducta, causa transgressionis fuit.

Tunc) Sequitur pœna communis hoc & sequenti versu, specialis deinceps viro, mulieri, serpenti sigillatim denunciata. Communis pœna est sensus nuditatis cum pudore conjunctus, & terror conscientiæ: quamvis lux illa veræ intelligentiæ propemodùm extincta fuit, tamen reliquiæ, & scintillulæ supererant, quibus velut apertis oculis intelligentiæ turpem ac fœdam peccati labem primi parentes agnoscerent, & inquinatas animi facultates, & pudendum esse corpus viderent. Idcirco hinc sensum rei pudendæ sequitur rubor, qui disparatis effectis declaratur. Nam pudenda tegendi causa consuunt folia ficulnea, & sibi faciunt subligacula. Non agnoscunt peccatum suum, aut fatentur, neque de mali remedio cogitant, sed id unum agunt, ut suo malo tectum manear. Nulla tamen prius à Deo adhibentur remedia, quàm expressa sit peccati confessio, de qua posteà dicendum erit. Et quanvis pœna nulla uideatur, gravis tamen est, & in omnes posteros peruagata, quam ideò cõmunem diximus. Nam sensus ille nuditatis gignit ruborem, qui nihil est aliud, quàm ex rei pudendæ, qui nobis adhæret conscientia, illius molesta animi auersatio, quę & miseriæ nostræ argumentũ est, et illis pars non minima, miseros enim esse oportet, quos sui necessariò pudet, & qui fœditatis suę causa se ipsos aversantur. Homini integro jucundũ fuit seipsum contẽplari pulcherrimum Dei opus, siue animi dotes, sive admirabilem corporis fabricã spectaret: at quod malũ turpificati animi fœ-

fœditatem, & peccati labe ipsum corpus aspersum intueri, adeoque aversari? Quod verò partes illas, quæ ob eam causam pudenda appellantur, non pedes aut manus aversamur, ideò fieri videtur, quòd illarum nos imprimis Deus pudere voluit, ut sciamus tam in posteris, quàm in primis illis parentibus, malum hoc & peccati turpitudinem residere, cujus omnes necessariò pudeat. Est autem hic affectus animi, quo Deus vniversum genus humanum imbuit ex conscientia peccati & miseriæ in Dei conspectu, non ex intuitu notæ turpis in corpore expressæ.

8 *Tum audiverunt*) Terrorem conscientiæ ex causa & effecto describit. Causa est sonus Dei advenientis, qui magno cum strepitu suo more, ventorum alis insidens advolat, ut legimus Ptal. 18 Psal. 104. ut gloria & amplitudine majestatis suæ res efficiat. Vox enim illa Iehovæ itantis per hortum ad ventum diei nihil aliud fuit, quàm illius strepitus, quem adveniens in iudicium ventorum agitatione per arbores horti excitavit, quo perculsi Adamus & Eva in latebras se abdiderunt, & in medio arborum implexu delitescentes Dei conspectum refugerunt. Paulò ante nihil Adamo jucundius fuit, quam Deum alloquentem audire, & jubenti parere: at nunc ex reatus sui & miseriæ conscientia ita Dei iudicis metu trepidat, ut venientis strepitum ferre non possit, & vnicam consequendæ salutis rationem statuat a Deo refugere & ab illius conspectu longissimè abesse ac latitare: tantùm abest, ut de reconciliando sibi Deo cogitet, quàm verò lux illa Adami mentis extincta fuerit, vel ex eo apparet, quòd ille qui priùs probè noverat Deum summè potentem esse, & cui occultissima cordis humani arcana patefierent, nunc arboris objectu illius avertere aspectum posse putat. Atque hoc est quod ab omnibus sæpe fit Dei omni scientiam abnegare.

Aphorismi.

1 Qui Dei verbo & veritati fidem abrogant, justo illius

illius judicio spiritu erroris aguntur, ut mendacio credant. Ab illo enim impuro fonte, nimirum infidelitate, promanat cæcitas mentis, voluntatis depravatio, omniumque adeò facultatum & animi & corporis *ataxia*, ut ne ad cogitandum quicquam ex nobis ipsis simus idonei. 2. Cor. 3. 5.

2 Cum ex intimo animo proficiscantur, quæ polluunt hominem. Mat. 15. 17. Deus à nobis orandus est, ut mentes imprimis nostras veritatis suæ cognitione illustret, & voluntates corrigat, nosque totas ad imaginem suam refingat. Ephes. 1. 16. 17.

3 Sic Adamum & Evam peccâsse intelligimus, ut vnico illo peccato se & posteros omnes iræ filios, & mortis reos effecerint. Rom. 5. 17. 18. 19. Per unum hominem mors regnavit &c. Nam sicut ex Dei solius bonitate tàm posteris, quàm sibi bona illa acceperunt, sic & posteris omnibus, & sibi eadem illa amiserunt, & sua contumacia reatum ac pœnam conciliaverunt.

4 Qui Satanæ imperio se permiserunt, non solùm sibi ipsi ad scelus perpetrandum seruntur, sed etiam alios eodem studeant impellere.

5 Quamvis sensus nuditatis cum pudore conjunctus non leviter pungat animum, & molestiam afferat, eo tamen Deus summè sapiens vtitur ad impotentes animi affectus coercendos, ne in omnia præcipites flagitia rapiantur. Vnde Philosophi pudorem virtutis comitem esse statuunt, sine quo nihil rectum, nihil honestum esse arbitrantur.

6 Et si improbi multa prætexant, quibus peccatum suum & miseriam studeant obtegere, vt à Deo judice nihil metuere videantur, tamen nulla vis prohibere potest, quin toti cohorrescant, simulatque Deus præsentiæ suæ, & iræ indicium ostenderit: Nihil adeò efficiunt audacia sua nefarii Dei contemptores, vel teste ipso Caligula, de quo Suetonius.

7 Quo gravius malum terrore conscientiæ agitari

eo

eo magis danda est opera, ut justificati ex fide pacem habeamus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, Rom. 5. 1. hæc enim sola est animi tranquillitas.

9 *In clamavit autem Iehova Deus Adamum: et dixit ei ubi es,*

10 *Qui dixit, vocem tuam audiebam in hoc horto: extimui autem, eo quod nudus sim, & abscondi me.*

11 *Dixit vero Deus, quis indicavit tibi nudum esse te? an de fructu illius arboris, de quo interdixeram tibi, ne comedas ex eo, comederis?*

12 *Cui dixit Adam: mulier ista, quam posuisti mecum, ipsa dedit mihi de fructu illius arboris, & comedi.*

13 *Tum dixit Iehova Deus mulieri, quid hoc est, quod feceris? dixit autem mulier, serpens iste seduxit me, & comedi.*

14 *Qua propter dixit Iehova Deus serpenti illi, cum feceris istud, maledictus esto præ omni iumento, & præ omni bestia agri: super ventrem tuum ito, & pulverem comedito omnibus diebus vitæ tuæ,*

IN *clamavit*) Antequam in singulos sententiam ferat Deus, accuratè de causa cognoscit, vt ipsius iustitia ab omnibus omnium hominum calumniis vindicetur, & suo exemplo doceat, quàm religiosos, prudentes & cautos esse magistratus in judiciis exercendis oporteat. Primùm igitur Adamum refugientem, & latitantem de nomine appellat, ac quærendo vbi-nam esset, expergefacit, & restitantem ad se revocans, in judicio coram sistit. Sic quasi injecta manu Adamum à certa pernicie retrahit, quo enim longius à Dei præsentia fugit, eo propius ab exitio abfuit.

Qui dixit) Timoris sui & occultationis causas affert falsas quidem illas, veram autem reticet. Prima est quòd

Dei

Dei vocem, & sonum venientis audivisset: quem adeò formidabilem ferre non posset. At non causam pro causa dixit: priùs enim Deum colloquentem audivit, nec metuit tamen. Quare impiè suæ culpæ causam in Deum rejicit. Altera est quòd nudus sit, vnde consequutus est timor, et occultatio. Atque hic etiam obliquè in Deum crimen impingit: perinde enim ait, ac si quereretur se à Deo nudum fuisse conditum.

Dixit) Cùm fateatur Adamus se nudum esse: partim causarum scientiæ adjuvantium remotione, partim conscientiæ ipsius testimonio, violati interdicti reum Deus peragit. Nam cùm se nudum esse sciret, & id a nemine edoctus, fieri non potuit, quin probè sibi esset conscius, & quando, & quo pacto accidisset, ut sibi nudus esse videretur: deinde veram nuditatis, timoris & occultationis causam ostendit, quòd nimirum ex fructu vetito comedisset, & testem appellat ipsius Adami conscientiam, quam pungit vehementi interrogatione, ut crimen fateatur, cujus atrocitatem ex eo amplificat, quòd contrà promulgatum interdictum quo de officio monitus fuit, ex vetito fructu comedisset.

12 *Cui dixit Adam mulier ista, quam*) Haenenus veram sensus nuditatis, & timoris causam, id est, peccatum suum jam insita hypocrisi Adamus celare studuit, nunc facti reus culpam in conjugem transfert, quam contemptim accusat (fœminta inquit, ista) & in Deum contumeliosus est his verbis (quam posuisti mecum, ista dedit mihi) quasi Deus bene homini non consuluisset, cùm fœminam ei in in auxilium commodum adjunxit, neque videt, quàm gravibus verbis hac criminis translatione se ipsum accuset, qui conjugi suæ, ut ait Ambrosius, præesse ut caput, non sequi ut pedes debuit, & quàm ingrato animo singulare Dei beneficium corrumpat.

Et comedi) Quasi vi & tormentis extorta expressaq;

est

est tandem criminis confessio, quæ Adamum & sponta-
nea voluntate cepisse fructum illum è manu conjugis
suæ, & nulla vi coactum comedisse, diserte testatur, ut
lapsus humani generis & peccati causæ sit primorum pa-
rentum spontanea voluntatis ad malum inclinatio.
Nam eos Dominus mutabiliter bonos creavit, quoni-
am mutabiliter esse bonum per se unius Dei proprium
est.

Tum dixit) Atque hæc quidem de peccati Adami
cognitione, sequitur hoc versu cognitio instituta de mu-
liere hac interrogatione, Quid est hoc quod fecisti? quæ
non de peccato, quod Adami confessione manifestum,
sed illius qualitate, & magnitudine quærit in hanc sen-
tentiam: quale, & quantum flagitium admisisti, quæ &
ipsa offendisti, & offensioni marito tuo fuisti? In fœmi-
næ responso similis est criminis translatio, qua usus est
Adam, & eadem confessio, ut factis utrique eadem lu-
insecti reperiantur: à serpente enim se deceptam fuisse di-
cit, & comedisse fatetur.

14 *Quapropter*) Deinceps in reos Dominus fer
sententiam. In serpentem hoc & sequenti versu, de que
nulla instituitur cognitio, quia neque illi ad transfe-
rendum crimen in excusationem, neque ad resipisce-
dum locus fuit. Hoc versu pœnam in serpentem à Dia-
bolo occupatum denunciat, nimirum maledictio-
nem, quæ nimirum collatione, & signis amplificatur.
Quamvis justo Dei judicio bestiæ, ut res aliæ creatæ vani-
tati & maledictioni sint obnoxiæ, propter homi-
peccatum, tamen serpens, ut qui fuerit instrumentum
ad hominem, id est, Dominum suum perdendum gra-
viori maledictioni subjicitur. Signa maledictionis duo
sunt, super ventrem repere & pulverem comedere. Pri-
us quidem super ventrem reptit, & pulverem comedit:
at hoc repere & comedere justo Dei judicio cum ma-
ledictione conjunctum est, ut summa cum molestia
moveat serpens, & maxima cibi penuria, & compara-

di difficultate laboret. Serpentum autem ea est voracitas, ut ranas, cancros, pisces integros deglubant, & ex pulvere terræ cibum parare sibi necesse habeant: hiberno enim tempore ad vernum usque in terra delitescere, atque aliis quoque tempestatibus constat. Si cui absurdum videtur de bruto animali pœnam exigi alienæ fraudis, facilis responsio est, cùm in hominis gratiam serpens esset creatus, non temerè maledici, ex quo versus est in ejus perniciem. Atque etiam in horrendæ rei memoriam animantibus pauperiem facientibus & nefaria libidine concumbentibus similia Dei lege constituuntur supplicia. Quod si tam acerba Dei maledictio bruto animanti, & instrumento incumbit, quàm dirum authorem sceleris supplicium torquebit.

Aphorismi.

1 In cognitione causæ Adami ostendit se Deus summè sapientem: nam reum peragit ex sceleris sui conscientia, vt ipsius culpa perire, & justissimè puniri intelligatur.

2 Vis tota obscuratæ intelligentiæ, quæ reliqua est in homine, solùm ingeniosa est ad celandum crimen admissum, & quavis ratione aliò transferendum, ut nunquam erroris ingenuam confessionem edendam esse statuat. Quod in nobis quotidie experimur: donec enim Dei spiritu incitati peccata nostra fatemur, testa semper esse volumus. Psal 32.3.4.5.

3 Non mirum in communi vita tam latè fusam esse hypocrisin, quæ pessimis exemplis semper alitur, cùm ea velut morbo hereditario laboremus: unde gravis illa Prophetæ querimonia. Psal. 12.3.

4 Cùm Deus renum ac cordium scrutator ac hominis conscientiæ, quàm mille testes esse dicunt, testimonio reum peccatorem coarguit, nulli tergiversandum in Dei conspectu, sed ingenuitatem ac simplicitatem colendam esse docet.

5 Eo fertur hominis non regeniti audacia ut ex-

excusando, ut in Deum potius ipsum blasphemus culpæ suæ causam transferat, quàm eam ingenuè fateatur.

6 Non subit Adami mentem, ut agnoscere delictum suum, ne dum ad Dei clementiam confugere, ac veniam petere velit. Nisi enim peccator Dei spiritu iterum fuerit genitus, non potest salutis consequendæ rationem tenere, & Dei regnum videre. Ioh 3. 5.

15 *Præterea inimicitiam pono inter te & mulierem hanc, similiterque inter semen tuum, & semen huius, hoc conteret tibi caput, tu autem conteres huic calcaneum.*

Præterea) Diabolo, qui serpente in hominis calamitatem abusus fuit, triste & inevitabile exitium interminatur. Primùm quidem inimicitiam, & odium perpetuò futurum inter diabolum & hominem denunciat: deinde exoriturum semen mulieris, quod sit Diabolum penitus aboliturum. Odij autem & inimicitiæ hujus causa est ipse Deus, ego pono, inquit, qui cum hominem quem secundum imaginem suam condidisset insigni impostura, & fraude deceptum, sponte tamen Diabolo infensissimo hosti se conjunxisse vidisset, ut impostorum perpetuò dissideant, capitale odium inter eos concitat, & irritum reddit consilium Satanæ, qui Dei gloriam in homine condito obscurare, ipsum verò hominem pari secum exitio involvere studuit. Nam Deus summè sapiens sic fraudem Diaboli vlciscitur, ut illius conjunctio cum homine initio in perpetuum dissidium, ipsisque adeò exitiale vertatur, & ex Dei misericordis gratia salutis recuperandæ homini spes fiat. Odij verò & inimicitiæ illius duplex ratio est. Nam diabolus insita malitia Deum odit, & hominis saluti invidet, cujus odij Deus causa diabolo modo potest, & si diabolum fraudis omne genus machinantem ita constrictum tenet, vt nihil emoliri possit, quod Dei immutabili decreto non sit ordinatum

um. Quòd verò diabolum odit homo iam lapsus, non fit depravatæ voluntatis spontanea propensione, sed Dei Spiritu fidem & veram resipiscentiam in illius animo gignente, vt Diabolum ipsiusque opera detestetur, Deo fonti bonorum adhæreat, justitiam amet & colat. Nam si propriis verbis rem eloquimur, Deus hominem lapsum sua gratia complexus, novam suo Spiritu efficit creaturam, ut sibi reconciliatus diabolum perpetuò oderit, & cum eo per fidem continenter bellum gerat, quo pertinet cohortatio illa. 1. Pet. 3. 9. Vnde illud perspicuè intelligi potest non concitari à Deo inimicitiam inter diabolum & Evam solam, aut sexum illum, sed omnino inter diabolum & genus hominum, quòd suo Spiritu Deus armauerit ad fortiter dimicandum adversus hostem illum. Fœminam diserte alloquitur, quod seducta, transgressionis causa fuit. Nomen autem fœminæ synecdochicè hominem significat, deinde eos, quos Deus vitæ æternæ participes facturus adoptionis Spiritu obsignat, ut diabolo strenuè resistant. Præterea inimicitias perpetuò futuras inter diabolum angelosque ejus & semen mulieris denunciat. Etsi seminis vocabulum interdum propriè id significat, ex quo alterum alteri simile gignitur, vt supra cap. 1. interdum id, quod ex altero propagatur: unde illud semen Abrahami, semen Iacobi, pro posteris eorum: tamen hoc loco absolutè sumitur pro ipsa gente & natione diabolorum. Nam uti suprà diximus spirituum nulla est propagatio. Sic Esa. 1. 4. Ezra. 9. 2. Et commiscuerunt semen sanctum cum populis aliarum regionum, id est, gentem Israeliticam ad sanctitatem vocatam & Dei gratia ab aliis separatam. Eccles. 10. 22. Semen securum est eorum, qui reverentur Dominum, & semen ignominiosum est eorum, qui non attendunt legi. Ita accipiendum esse semen diaboli, nimirum pro eo & Angelis ipsius, alterum communicationis membrum ostendit. Namvidem ille est, quicum inimicitias exercet semen mulieris & cujus capit fit contritum. At

semen mulieris conterit caput Diaboli & Angelorum ipsius. Diabolus igitur, & Angeli ipsius sunt semen illud qui cum inimicitias exercebit semen mulieris. Accedit antithesis seminis mulieris & seminis Diaboli. Nam si nomine seminis Diaboli intelligantur homicidae, mendaces, qui ex patre diabolo dicuntur esse. Ioh. cap 8 vers. 44. & qui dant operam peccato, quos ex Diabolo scribit esse Iohannes. 1. Epist. cap. 3. vers. 8. Tantum abest, ut primum cum his Christus bellum gerat, quin potiùs eorum misertus multos à tyrannide Diaboli in libertatem vindicet. Verùm enimverò quatenus sancti Satanae spiritu Christi regnum oppugnant, & sanctis bellum inferunt obstinata animi contumacia, eos vt Diaboli instrumenta Christus invicta potentia coercet, & gravissimis tandem aliquando poenis cum diabolo & Angelis ejus in aeternum affliget. Deinde semen mulieris est Christus, quem primum & propriè Diabolo opponi constat. Quod vt credam faciunt sacrae scripturae testimonia, quibus propriè vti res est Christus semen mulieris esse ostenditur. Infra cap. 49. vers. 10. Non recedet tribus à Iehuda, neque legislator è medio pedum ejus usque dum venturus est Schilo, id est, Filius secundarum ejus. Sic membri synedoche promittit ex filia Iehudae nasciturum Messiam, cui esset futura obedientia populorum. Esai. cap. 7. vers. 14. Mat. 1. vers. 22. Virginis filius promittitur & nascitur Messias. Itaque Apostolus Galat. cap. 4. vers. 4. scribit post quam venit plenum tempus Deum emisisse Filium suum factum ex muliere. Eòdem pertinet rei eventus, quem futurum hoc loco praedicit, nimirum semen mulieris contriturum caput Diaboli, quod soli Christo tribui debet. Gravis igitur comminatio est qua denunciat Deus *Asponden polemon* Diabolo futurum perpetuò cum hoste longè potentissimo, qui praeter ipsius opinionem ex femina sit nasciturus

quem

quam & posteras omnes sibi addictissimos sperabat. Sed quo diabolus ex cōmutatione rerum gravius doleat inimicitiæ cum Christo exercendę luctuosissimū eventū prędicit, ipsum inquit, semen mulieris conteret tibi caput tu autem huic conteres calcaneum. Quibus verbis significat Diabolum læthali vulnere à Christo affectum iri, quod eventus luculentissimè comprobauit. Nam Dei Filius carnis & sanguinis factus est particeps, ut per mortem aboleret eum, qui mortis imperium habet, hoc est, Diabolum. Ad Hebræos 2. vers. 4. Id autem efficit, cùm exspoliata imperia, ac potestates traduxit palam triumphatis illis per crucem. Ad Colossenses 2. versu. 15. Sic autem cum hoste Diabolo in ipsa morte congressus est Christus, ut planè exarmârit, omnemque illius potentiam fregerit. Nihil aculeus mortis, peccatum, cujus in cruce pœnas acerbissimas pro injustis pertulit: nihil mors ipsa & sepulchrum adversus Christum potuit: victor enim superata morte, & profligatis inferorum copiis æternam sibi gloriam, & suis salutem peperit: quæ victoria tam certa fuit, ut discipulis antequam pateretur, dixerit, confidite, ego vici mundum. Iohan. cap. 16. vers. 33. Consequitur Diabolum Christi calcaneum contriturum ex eventu etiam intelligi, & ad Christi perpessiones referri debet, quarum author Diabolus impostura, fraude, & exquisitissimis artibus primarios sacerdotes, scribas, seniores populi, sceleratum ex discipulis unum Iudam sollicitavit, ad tollendum è medio, qua vi quavè injuria vnctum Domini, qui tandem in crucem actus horrendos cruciatus, & pœnas gravissimas, nostris sceleribus debitas perpessus est. Rerum autem gerendarum permagna indicatur dissimilitudo. Christus enim serpentis caput conterit, apertoque Martem hoste confligit, & eo profligato, ut vires redintegrare non possit, gloriosam reportat victoriam: Antiquus autem ille Serpens calcaneum conterit, & frau-

fraude, dolo, perfidia rem gerit, iisque artibus, quibus solis Christum eversurum se confidit, frustrà utitur, adeoque ipse cum suis in æternum perit.

Aphorismi ex versu 14. 15.

1 SI Deus bruta animantia, quę Satanę sunt instrumenta ad peccandũ, tam severè punit, quid nobis fiet, qui ratione præditi spontaneo motu, quamvis meliora probemus, deteriora tamen sequimur, & membra nostra arma in justitię sistimus diabolo? Monẽte igitur Paulo studiosè auscultandum. Ne sistite, inquit, membra vestra arma injustitiæ peccato, sed sistite, vos Deo, ut ex mortuis vivos, & membra vestra arma justitiæ Deo. Rom. 6. 13.

2 Deus & in judiciis suis denunciandis, & in exequendis summè justum se, & misericordem ostendit, sic enim imposituræ fraudis pœnas diabolo denunciatas irrogat, quod homini pessum dedisset, ut homini perdito salus ex gratia spes fiat. Elucet enim hìc summa dei sapientia: nam Satan conditoris gloriam obscurare, & hominis salutem evertere conatus est: at Deus consilium Satanæ sic irritum reddit, ut & suam gloriam illustret magis, & hominis saluti consulat. Satan enim ubi Dei imaginem in homine obliterasset, & summa fraude eum sibi conjunxisset, ut in conditorem rebellis certam perniciem sibi accerseret, quæ voluit, se consecutum sperauit. At Deus hominis perditi misertus eum gratia complectitur, & suo spiritu imbuit, ut Satanam oderit, & perpetuò cum eo inimicitias exerceat.

3 Soli electi Dei, per fidem diabolo resistunt. 1. Pet. cap. 5. Nam qui non sunt regeniti, ne ad cogitandum quicquam ex se ipsis sunt idonei, nedum ad bellum cum diabolo gerendum.

4 Christus verè semen mulieris is est, qui invicto robore Satanam profligat, cujus virtute freti cum diabolo certamus, tandem aliquando victores evasuri.

5 No-

5 Noſtra eſt unica conſolatio obtritum & devictum eſſe Satanam à Chriſto, quemadmodum prædictum fuit, ut quanvis tantiſper d m plena fiet redemptio in adventu Domini, non intermittat nos vexare, & continenter oppugnare, nulla vis à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu nos ſeparare poſſit. Rom. cap 8. verſ. 38.39.

6 Nos etiam valde conſolatur Chriſti morte & ſatisfactione expiata eſſe peccata noſtra, & æternam nobis partam eſſe juſtitiam. Ille enim factus eſt nobis à Deo ſapientia, juſtitiaque & ſanctificatio & redemptio 1.Cor.1.30.

16 *Mulieri dixit, admodum multiplico dolorem tuum, etiam conceptus tui, in dolore paries liberos: quin erga virum tuum appetitus tuus eſto, & ipſe præſto tibi.*

17 *Adamo verò dixit, quia auſcultaviſti voci uxoris tuæ, & comediſti de fructu arboris illius, quo interdixeram tibi, dicendo, ne comedas ex iſto: maledicta eſto terra propter te, cum dolore comedito prouentum eius omnibus diebus vitæ tuæ.*

18 *Eaque ſpinum, & carduum proferto tibi, tu verò comedito herbam agri.*

19 *In ſudore vultus tui veſcitor cibo, donec reuertaris in humum, cum ex ea deſumtus ſueris: nam pulvis es, & in pulverem reuerteris.*

16 M*Ulieri)* Mulier dolorem, eumque multiplicem, & appetitum dominij ipſius viri cum dolore conjunctum denunciat. Primum in genere dolorem, deinde conceptus & partus fore oſtendit, quibus ſynecdochicè dolor, cura, moleſtiæ, conceptus, geſtationis, & partus, & educationis liberorum ſignificantur. Verbi geminatione & voce multitudinis numeri uſus, perpetuis, & grauibus malis feminas vexatum iri comminatur,

quomodo vitam illis transigendam esse docet, Paulus 1. ad Timoth. 2. cap. vers. 14.

Et ad virum) Alterum comminationis membrum de appetitu Domini ipsius viri, quo significat mulierem infirmitatis suæ conscientia cum animi anxietate, ut sibi vir præsit expetituram, ut illius imperio subesse necessariò oporteret existimaturam, à quo uno pendeat: virum autem Domini partes susceperunt, & uxoti præscripturum.

17 *Adamo)* Deus tandem in Adamum fert sententiam, in qua dicenda primùm suppliciorum causas exponit. Causa autem, alia est culpa solius Adami, quòd voci uxoris auscultârit talia cum uxore communis, quòd ex fructu vetito comederit. Prior comparatè debet intelligi: nihil enim peccati fuisset uxori recta monenti obtemperare. Iubet Deus infra cap. 21. vers. 12. Abrahamum auscultare voci Saræ. At in eo gravissimè peccatum, quod Adamus voci uxoris suæ, non Deo contra suadenti obtemperârit, cujus facinus eo fuit indignius, quòd fœminæ, cui vt caput præesse debuit, nullo judicio patuerit. Altera causa communis est, quòd vterque comedisset ex fructu vetito. Facti autem atrocitas augetur, quia contra Dei interdictum expressè promulgatum patratum scelus est. Pœnæ autem triplex genus est. Primum terræ, adeoque rebus in hominis usum conditis maledicit. Alterum ipsum hominem attingit, ut in toto vitæ suæ curriculo difficultatibus & molestiis fatigetur. Tertium in vitæ exitu cernitur, cùm morte, animæ fit à corpore disjunctio. Terræ maledicto primùm respicit commune hoc domicilium, in quo Deus homini collocato non solùm ad necessitatem, vtilitatem, & commoditatem, sed etiam ad voluptatem abundè omnia attribuit, quæ terræ vi divinitus indita copiosè protulit. Nam postquam homo suo scelere terram polluit, ea Dei benedictione ac potentia illa & viribus destituta vanitati, vt reliquæ res creatæ, cœpit subiici, vt terræ pa-

scentia

entis non tam fœliciter, quàm priùs, provenirent in hominis vſum: & ipſa terra neque qualitate, neq; numero herbas, & pares fructus primis, ſed interdū minùs ſalubres, & noxios proferret. Deinde adjunctis elementis aquæ, aeri, & ipſi cœlo incubuit maledictio illa, quod ex legis comminatione intelligi poteſt. Lev 26.19. Reddam, inquit Deus, cœlum veſtrum tanquam ferrum, terramque veſtram ſicut æs. Vt è diverſo cum benedictione promittit, effecturum dicit, ut cœlum reſpondeat nubibus, nubes terræ &c. Oſeæ.2. Sic tamen terræ cæteriſque elementis maledixit Deus, ut multa ſuæ benevolentiæ, & benignitatis erga humanum genus documenta extare voluerit Act.14.17. Non paſſus eſt ſe expertem eſſe teſtimonii, dona tribuendo; dans cœlitus pluvias, ac tempora fructibus edendis apta, implens cibo, & lætitia corda noſtra. Maledictionem autem illam ſæpe hominum ſceleribus offenſus auget, ut hominum reſipiſcentia commotus & piorum cauſa interdum minuit. 1. Reg. cap. 17. verſ. 1. Cap. 18. verſ. 45 Iac. 5. infra cap. 4.2. Oſeæ.2.21.

Propter te) Maledictionis cauſa eſt peccatum. Nam prout homini officium pietatis erga conditorem ſuum facienti benedictionis adminiſtra fuit terra, ſic maledictionis juſto Dei judicio in contumacem, & divini interdicti tranſgreſſorem extitit.

In dolore comedes proventum ejus) Alterum genus maledictionis quo labores, ærumnas, dolores, moleſtias in toto vitæ hominis decurſu comminatur. Comedere autem ex proventu terræ eſt vitam hanc alere, & ſuſtentare, in dolore vero comedere ſignificat ita frui hujus vitæ commodis, vt multa ſint conjuncta incommoda. Etſi igitur commeritus eſt homo, ut ſimul ac Dei interdictum violavit in æternum morte periret, tamen vt ad reſipiſcendum invitaret Deus, & vitam præſentem & multa ad eam tolerandam commoda concedit. Hæc pœna generatim denunciata

primùm temporis circumstantia amplificatur: nam incertum aliquod tempus vitæ laboresq; & ærumnas non interminatur, sed quæ totius vitæ curiosum molestum redderent

18 *Et spinam*) Vitæ hominis ærumnosæ membra sequuntur. Primum est, terram multa ultrò ingrata & incommoda producturam, degeneres herbas, siliquas, arbores, vbique & spinas, vepres, lappas, carduos, lolia, tribulos, aliaque id genus infinita. Alterum molestiæ membrum continetur his verbis (comedes herbam agri) quibus denunciat fore, ut deinceps gratissimus horti illius fructus, ac herbas non sit esurus, sed agrestes & minus suaues. Vtrumque molestum, & graue fuit, & delicijs quibus antea affluebat privari, & vitam insuavi & agresti victu tolerare.

19 *In sudore*) Tertium molestiæ membrum est in sudore vultus cibum comedere, quod nihil aliud indicat quam vitæ hujus necessaria præsidia maximis laboribus, vigiliis, curis, ac doloribus hominem paraturũ, qui prius nulla molestia horum colebat, & omni solicitudine vacuus vitam jucundam & amœnam degebat. Sudoris meminit, qui partim nascitur ex vehementi labore, & virium contentione, partim ex sensu infirmitatis, quem sæpe metus sequitur, cum vires regerendæ impares nobis videntur, vt non solùm homini molestam, & laboriosam vitæ tolerandæ rationem fore ostendat: sed etiam conscium infirmitatis suæ futurum. Hæc molestia augetur ab adjuncta diuturnitate. In sudore enim vultus homo perpetuò ægrè vitam tolerabit, donec e vivis excedat. Quod in terram reversurum dicit ex 12. cap. Ecclesiastis, recte interpretabimur, corpus in pulverem dissolutum iri, spiritum verò ad Deum rediturum, qui dedit illum. Corporis autem in terram dissolvendi ratio est, quod terrenæ sit naturæ. Vnumquodque enim in suã, unde constat, principia resolvitur. Ex terra verò desumptum dicit, ut ex ortu magnitudo peccati hominis intelligatur

qui

qui ex terræ pulvere efformatus non Deo parere, sed summa vanitate illius majestati sese adæquare studuerit. Est autem hæc sententia velut transitio ad tertium pœnæ genus.

Nam pulvis) In vitæ clausula mortem denunciat, qua spiritus à corpore sejunctus ad Deum conditorem evolet, corpus autem in pulverem redigatur. Causam affert quia homo sit pulvis, quod non tam respicit alteram hominis partem, quam totius corruptionem, quasi diceret ideò moriendum esse homini, quia se corruptisset & terrenam imaginem induisset, Dei autem in pulvereo corpore relucentem obliteraſſet. Atque hæc supplicionum genera tam posteris, quàm primis illis parentibus interminatur Deus, non quasi his divinæ justitiæ pro peccato illo: sed ut electi Dei partim ad resipiscentiam incitentur, partim castigati eam seriò meditari, & meliorem vitam in semine mulieris patientes expectare discant.

Aphorismi.

1 Actionum nostrarum omnium patefacta Dei voluntas unica norma est ac regula, à qua qui vel minimum deflectunt, peccati sunt rei, ut nulli contrà, quam præcepit Deus suadenti sit auscultandum.

2 Cum quoquoversum oculos converterimus in rebus conditis manifesta appareant ob peccatum illud primarium divinæ iræ documenta, quæ nostris sceleribus augentur, si salvi esse volumus, meditanda nobis est seriò resipiscentia.

3 Quod reliquum fecit Deus benedictionem homini cùm eum justissimè denunciatam mortem commeritum potuisset perdere, summè misericordem se ostendit, & veniæ resipiscenti spem fecit. Divina igitur benignitate ad resipiscentiam, veramque vitæ emendationem nos deduci persuasum habeamus, ne tanta lenitate abutentes gravius nobis judicium accersamus, ad

Rom-

Rom. 2. vers. 4. 5.

4 Quàm fœdum & detestandum hominis peccatum ex eo appareat, quòd contagione sui res creatas terram, aquam, aerem, cœlum ipsum contaminârit, & vanitati subjecerit, ad Rom. 8. 20. Quod si res conditæ dant pœnas alieni peccati, quàm graves, authores ipsi luent, nisi mature resipiscant?

5 Ne totum hominem morte perire temerè putemus promissionem illam de eo, qui imperium mortis habet, abolendo per semen mulieris firma fide tenemus, & nos instauratum iri tum animo tum corpore certò credamus, cùm patefiet Dominus Iesus è cœlis cum angelis suis &c. 1. Cor. cap. 15. 2. Thes. 1.

20 *Vocauit autem Adam nomen vxoris suæ Chavvam: eò quòd ipsa mater sit omnium hominum viventium.*

21 *Feritque Iehova Deus Adamo, & vxori eius tunicas pelliceas, quibus vestiret eos.*

22 *Et dixit Iehova Deus, ecce homo est tanquam vnus ex nobis, cognoscendo bonum & malum: nunc igitur videndum, ne extendens manum suam accipiat etiam de fructu arboris vitæ, ut comedat victurus in sæculum.*

23 *Emisit itaque eum Iehova Deus ex horto Hedenis, ad colendum terram illam ex qua desumptus fuerat*

24 *Quumque expulisset hominem, instituit à parte anteriore horti Hedenis Cherubos, flammamque gladij sese vibrantis, ad custodiendum viam, quæ ferebat ad arborem vitæ.*

VOcauit] Sententiæ à Deo latæ executionem narrat. Primùm hoc versu, quo pacto promissionem de semine mulieris contriturum caput serpentis & de generis humani propagatione fide amplexus sit Adam, ut imposito uxori nomine Chavva, quod viventem significat

Dei

Dei beneficium celebraverit, & suam fidem testatam fecerit. Agnoscit enim ex gratia mulieri datum in semen illud, per quod ipse cum suis servandus, & ab æterna morte liberandus: ideoque verè vxorem omnium viventium hominum matrem appellat. Et quamvis fides Adami respiciat continuatam ex Dei misericordia benedictionem homini tributam, de generis propagatione supra cap. 1. vers. 28. crediderim tamen propriè eam promissum semen amplecti, in quo verè viventes instaurandi & vivificandi essent: fuit enim nomen Chavva vitæ, & salutis ex gratia acceptæ, cùm alioqui justissimè in æternum periisset homo, documentum, quo grato animo Dei beneficium perpetuò se recolere professus est Adam. Atque ita gratuita salutis promissio efficax redditur, cùm fide vera recipitur, quæ Dei donum est.

21. *Fecit*) Sequitur judiciorum à Deo denunciatorum executio. Hoc versu dat Adamo & vxori ejus vestem, quæ peccati & miseriæ ipsorum perpetuum sit monimentum. Vsus enim vestium homini lapso vel fuit nuditatis ex peccati & miseriæ conscientia tegendæ, vel injuriæ cœli prohibendæ causa. Atqui sensus nuditatis nimii, imbres, venti procellosi, calor, frigus perurens, nihil sunt aliud, quàm peccati pœnæ, & instrumenta miseriæ humanæ: sive autem extraordinaria quadam ratione tunicas illas Deus fecit, sive Adami & Evæ mentibus faciendarum vestium rationem, & consilium dederit, non est sollicitè quærendum, modò illud constet ab uno Deo profectum, qui sic clementia justitiam temperat, ut simul vestium usu hominem miseriæ suæ admoneat, & misero summa benignitate consulat. Materiam sumit parabilem, sed quæ hominem sua culpa in miserrimum statum devenisse moneat, obliterata nimirum Dei imagine per peccatum belluis ipsis, quàm Deo similiorem esse latentem sub horrida pelle, ut ad veram resipiscentiam, & Dei imaginis instaurationem magis ac magis incitetur.

22 *Et dixit)* Deinceps ejectio Adami ex horto Hedenis exponitur, ejectionis causas hoc versu duas commemorat. Prima est ipsius Adami culpa admissa, quae gravissimis verbis ironica hominis descriptione declaratur: simplicibus verbis sic effert potest, Adamus qui suadente fœmina à Diabolo decepta Deo par & æqualis esse cognitione boni & mali ambitiosè studuit: deformata Dei imagine, ad quam conditus fuit, eo se præcipitem dedit, ut ne similis Deo esset, nedum par, & æqualis: & dum cognitionem affectaret, eam, qua mens illius fuit illustrata amisit, & quàm certus in malis versaretur cœpit cognoscere. Vnde sequitur indignum esse, qui illius horti colonus remaneat, qui suo scelere esset commeritus, ut expelleretur. Vtitur voce attentionis (*Ecce*) ad facti indignitatem augendum. Facile autem erit ex verbis sententiam expositam elicere, si contraria ex contrariis significari sancta illa nomina intelligamus, qua Deus hominis factum cum voluptate non videt, sed illius stultitiam, & Satanæ imposturam aversatur: ejusmodi affectus parentis pij filium ob scelus imprudenter admissum ironicè objurgantis esse solet. Multæ sunt sacræ ironiæ in sacris scripturis exempla. Deut. 32. 37. Iudic. 10. 14. 1 Reg. 18. 27. Adamus igitur non est factus esu vetiti fructus par Deo, neque sicut Deus cognouit bonum & malum, ut bono frueretur, & à malo liber esset: sed Deo planè dissimilis evasit, & à bono se excidisse, & in malum incidisse misera experientia certò cognouit.

Sicut unum) Luculentum Trinitatis testimonium, sic enim Pater de Filio & Spiritu sancto loquitur.

Nunc igitur) Altera causa ejectionis, ne denuo peccatum admittat, si manens in horto fructu arboris vetitæ vescatur homo. Quod ut melius intelligatur, illud nobis admonendum est arborem illam vitæ, sacrosanctum fuisse symbolum vitæ à Deo in Christo conditore per Spiritum æternum acceptæ, & terrenæ fœlicitatis tan-

tantisper duraturæ, quàm Adamus in fide & obsequio conditoris sui permaneret, non autem sacramentum, quo admoneretur Adam lapsus, de salute æterna per semen mulieris Christum Iesum consequenda. Quapropter, si Adamus in horto illo mansisset, & quod in promptu fuit, de fructu arboris vitæ comedisset, tritum, quantum in ipso fuit, Dei consilium de homine per semen mulieris instaurando reddidisset, & perversè sacramentum illud arboris vitæ interpretatus, non solùm idololatrarum more vim & efficaciam rei significatæ externo symbolo tribuisset, sed etiam in terris fœlicitatem recuperare studuisset: quare conditorem suum gravissimè offendisset. Idcirco Deus præcavendum & ex horto expellendum esse hominem statuit, ne rursus se novo scelere contaminaret, & iram vindicis accenderet. Sunt autē illa accipere, comedere fructum arboris vitæ ad consilium Adami referenda: non enim vis ea arbori fuit indita, quæ homini fructum illius comedenti vitam in sæcula tribueret, quod Adamus falsò opinatus fuisset.

23 *Et misit)* Deus justissimis causis impulsus hominē ex horto ejicit & ad terram, unde desumptus fuit, colendam emittit. Ejectio autem ex horto significat terrena illa fælicitate hominem excidisse, & maxima ex parte bonis, quibus affluebat, fuisse spoliatum. Quòd verò, ad terram colendam mittitur, Dei beneficio vitæ conceditur, sed quæ variis molestiis, & laboriosa terræ cultura sit toleranda. In terram autem, unde desumptus fuit, ejicitur, ut sui ortus recordatione & quam esset fragilis expertus, in Dei conspectu se abjiceret & veniam peccati sui continenter deprecaretur.

24 *Cumque)* Expulsio Adami ex horto temporis diuturnitate amplificatur, & causis adjuvantibus. Nam ex horto illo ejicitur homo, ut in eum revertendi spes nulla supersit: & terribili specie adhibentur angeli eum gladiis corruscantibus flammarum more, & in omnem partem sese vibrantibus ad arcendum homi-

nem, ne in hortum irrumpat, & fructum arboris vitæ comedat. Angeli Cherubinorum nomine significantur, qui in operculo arcæ fœderis imagines erant elatæ, & humana facie efformatæ. Sic autem Deus formidabili horti custodia hominem perterrefacit, ut partim ad agnitionem peccati admissi, & seriam resipiscentiam adducat, partim deinceps à peccando deterreat. Quandiu Angeli custodes horti illius fuerunt, & quando custodire intermiserunt, non est à Dei spiritu patefactum. Quare hominum conjecturis nihil hic tribuendum esse arbitramur.

Aphorismi.

1 Magna fidei vis, quæ planè mortuis vitæ spem certam facit in Christo semine mulieris, & gratuitum Dei beneficium grato animo docet recolere.

2 Cùm Deus homini vestem nuditatis tegendæ, & injuriæ cœli arcendæ causa tribuerit, nostri peccati & miseriæ manifestum est documentum. Sui igitur obliti verè insaniunt, qui sumpta veste splendida, pavonum more se mirantur, cum conspecta veste ingemiscere potiùs oporteat. Peccant illi quoque qui nimio vestitui indulgent. Deus enim suo facto necessarij usus in vestitu rationem habere docuit. Lege cap. 3 Esai. Luc. 16. 19. 1. Pet. 3. 3.

3 Qui ex animi superbia, & Satanæ suasu honores & eminentiam appetunt iis infeliciter cedere eventus comprobat.

4 Adamum procul arcet Deus ab arbore vitæ, ne falsò vim vivificandi ligno ineſſe opinatus, ut se à morte liberet, ex fructu illius comedat. Ex quo intelligi potest quàm salutis ingrati hominis Deus summè misericors solicitè curam gerat, & quàm natura propensus

sit homo corruptus ad idololatriam, ut vltrò rebus conditis tribuat, quod unius Dei proprium est Psal. 106 vers. 21. Esai. 57. vers. 5.

5 Homini lapso in terris fœlicitas quærenda non est, sed fide per multas afflictiones in regnum cœleste ingrediendum. ad Col. 3. vers. 2. Act. 14.

FINIS.

Symbolum Apostolorum.

CRedo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ: & & in Iesum Christum Filium ejus unigenitum, Dominum nostrum: qui conceptus est è Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine: passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus: descendit ad inferos: tertia die resurrexit ex mortuis: ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est ad judicandum vivos & mortuos.

Credo in spiritum sanctum: credo sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum Communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIONES
PATRICII SCHARPII in Symbolum *Apostolorum.*

Transitio ad alterum tractationis caput.

IN Moschen de mundi creatione, hominisque lapsu disseruimus. Et quamvis homo in æternum perire fuerit commeritus, tamen in semine mulieris contriturо serpentis caput spem veniæ, & salutis denuò instaurandæ factam accepimus, si gratiæ promissio fide recipiatur, quæ vnica remissionis peccatorum, justitiæ, & vitæ æternæ consequendæ ratio est: deinceps considerandum erit, quæ sit fidei vis, & natura, quæ illius objecta, in quæ fertur, & quos tandem in Dei gloriam, & hominis salutem fructus proferat, Quæ omnia symbolo, quod vocant Apostolorum perspicuè, ac breviter exponuntur. Est enim symbolum fidei descriptio ex objectis, quæ sunt axiomata doctrinæ Evangelicæ *aytopista*, nobis ad salutem necessariò credenda. Symbolum *apo tou symballesthai* significat vel tesseram militarem, qua socii ab hostibus discernuntur: vel quod à pluribus in unum confertur. Vnde vox modificata significat summam compendiariam capitum fidei Christianæ, & doctrinæ Evangelicæ, quæ ut olim fuit, sic hodie esse debet quasi tessera, qua Ecclesia cum suis membris ab hostibus & omnibus sectis discernatur: quæ eadem summa est credendorum in unum collata

Quid sit symbolum. Notatio.

vel ab ipsis Apostolis, vel ex divinis scripturis ab Apostolicis viris, a quibus eam Ecclesia deinceps quasi per manus acceptam propagavit. Quam ob causam symbolum vocamus Apostolicum: quod & Catholicum dicitur interdum, quia sit omnium Christianorum fides una. In hanc sententiam scribit Augustinus Lib. 1. de symbolo ad Catechumenos. Hoc est symbolum quod retenturi & reddituri. Ista verba, quæ audistis per divinas scripturas sparsa sunt, sed inde collecta & ad unum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret, ut omnis homo possit dicere, possit tenere. Et Lib. 3. ejusdem operis cap. 1. Sacramentum, id est, doctrina, symboli, quod accepistis, memoriæque mandatum pro vestra salute tenetis, noveritis hoc esse fidei Catholicæ fundamentum, super quod ædificium surrexit Ecclesia, constructum manibus Apostolorum, & Prophetarum. Sic Deus in Ecclesia regulam extare voluit perpetuam, simplicem, brevem, & omnibus cognitu facilem, ad quam pij omnem doctrinam & interpretationem scripturæ examinarent, cum ea congruentem reciperent, pugnantem repudiarent. Cùm verò hæc axiomata *αυτοπίστα* ex divinis scripturis sint collecta, quod luculentis sigillatim testimoniis deinceps ostendemus, nihil hîc humanum cogitare, sed pari submissione animi & fide, ac ipsius Dei verbum amplecti debemus. Symboli vulgo numerantur duodecim articuli, præcipuè verò tres partes. Prima, de æterno Patre, & rerum omnium creatione. Secunda de Filio & humani generis redemptione. Tertia de Spiritu sancto, & nostri sanctificatione. Quanvis autem extent hæc Dei opera tribus personis sint communia, si ipsarum personarum effectionem spectemus, ut in primum caput Geneseos ostendimus, tamen distincta sunt quoad efficiendi modum. Deus enim Pater per Filium & Spiritum sanctum creavit mundum: Filius à Patre per Spiritum sanctum redemit humanum genus: Spi-

Usus.

Distributio.

Prolepsis.

rit[illegible]

situs sanctus à Patre & Filio redemptum hominem sanctificavit: secundum verò efficiendi modum, Pater mundum condidit, Filius hominem à morte redemit, Spiritus sanctificavit, ut singulæ tamen personæ alias non excludant. Prima pars symboli uno axiomate exponitur.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ. 1. *Artic.*

Testimonia.

PSal.116.v.10. Credidi cum hæc locutus essem. Qui accedit ad Deum, hunc credere oportet esse Deum Heb.11.6. Creditis in Deũ, etiam in me credite. Ioh. 14.1 Tu credis Deum unum esse, & rectè facis. Ia.2 19. Vtimur verbo singularis numeri, quia unumquemque suæ salutis certum esse oportet. Iustus enim ex fide sua vivit. Abacuc. 2,4. Pugnat igitur doctrina de implicita fide cum fidei Catholicæ regula. Etsi fides & credere à Latinis verborum conjugatione non efferuntur, ut à Græcis *pisteyem pistis*, tamen res sunt simili modo cognatæ. Quare ut quid sit in Deum credere intelligamus, fides erit definienda nobis. Cæterùm verbi ambigui, prout in sacris literis usurpatur aliqua significata primùm videamus. Act. 6. pro doctrina Evangelij sumitur. Et multa turba sacerdotum auscultabat fidei. Ad Gal. 3.23. 1. Tim. 1.19. Pro veritate & constantia in dictis & factis, quo modo uti solent etiam prophani scriptores. Psal 33. ver. 4. Matt. 23. 23. Pro notitia, & assensione, qua creditur verum esse quicquid sacris literis proponitur: hanc fidem Theologi Historicam vocant Iacob. cap. 2. vers. 19. Act. cap. 8. vers. 13. Simon ille Magus credidit nempè veram esse doctrinam Petri. Pro notitia & assensione cum lætitia doctrinæ veritatis, sed ad tempus, Luc. cap. 8. vers. 33. Est & fides quæ miraculorum dicitur, certa nimirum persuasio de futuro aliquo effectu miraculoso ex promissione singulari, 1 Cor. cap. 13. ver. 2. Mat. 17.

Elenchus.

Prolepsis

Varia fidei significata

Si habueritis fidem quantum est granum sinapis, &c. Hæc autem impiis communia esse possunt. At electorum fides propria, de qua nunc agitur, est non tantum notitia, qua firmiter assentior omnibus, quæ Deus in verbo suo nobis patefecit: sed etiam certa fiducia à Spiritu sancto per Evangelium in corde meo accensa, qua in Deo acquiesco, certò statuens, non solùm aliis, sed mihi quoque remissionem peccatorum, æternam justitiam, & vitam donatam esse, idque gratis ex Dei misericordia propter unius Christi meritum.

Fides definitio.

Definitionis brevis explicatio.

Definitur notitia & assensio, doctrinæ enim incognitæ nulla est fides, nam priùs nouisse, & intelligere oportet doctrinã, quàm ei credas. Esa. 53.11. Cognitione sui justificabit justus seruus meus multos. Neque est hæc persuasio, & assensio levis, aut momentanea, sed firma, & certa, quæ altas agit radices, ut evelli non possit. Quod ex effectis intelligetur. Heb. 10.38.39. & 11. vers. 1. Subjectum siue objectum habet fides in genere Dei verbum, at peculiariter promissionem gratiæ in Evangelio patefactam amplectitur. Fiduciam appellamus certam, qua fidei comes individua est motus cordis, & voluntatis summum bonum persequens, eoque gaudens, & nitens. Vnde *pisteyein* apud prophanos authores fiduciam collocare, niti re aliqua significat, ut apud Phocylidem *Mo me pisteye, polytropos estin homilos.* Et Demosthenes *soyto pisteyeis* confidis tibi ipsi, seu niteris tibi ipsi. Efficiens causa fidei est Spiritus sanctus. Quamobrem Christus Dei opus appellat. Ioh. 6.29. Hoc illud est opus Dei ut credatis in eum, quem misit ille. Act. 16.14. Ioh. 1. Phil. 1.19. Vtitur autem Spiritus sanctus Evangelij prædicatione, & sacramentorum administratione, tum ad fidem gignendam in animis, tum ad fouendam. Rom. 1.16.17 & 10.17. Ergo fides ex auditu est, auditus verbum Dei. 1. Cor. 1. 21. Matt. 15.16. Effecta fide [illegible] qua

quuntur acquiescere in Deo: certò statuere, & persuasissimum habere donatam esse mihi remissionem peccatorum, æternam justitiam & vitam. Mat. 9.2. Confide fili remissa sunt tibi peccata. Abacuc. 2.4 Rom. 1.17. Justus ex fide sua vivet. Joh. 3.36. Qui credit in filium habet vitam æternã &c. Effecta primis, & propriis causis illustrantur, & adjuncto modo: causæ sunt, Dei misericordia, & Christi vnius satisfactio, ac meritum: modus, gratis ignoscit & condonat peccata Deus. Rom. 3. 24. Justificamur gratis, id est, ejus gratia per redemptionem factam in Christo Iesu &c. ad Titum. 3. 5. Non ex operibus justis, quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia servavit nos. Luc. 1. 70. 71. 72. & deinceps. Joh. 20. 31. Hæc autem scripta sunt, ut credatis Iesum esse Christum filium illius Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus. Act. 2. 43. Atque hæc veræ fidei descriptio est, qua fit ut corde credamus ad justitiam, & ore confiteamur ad salutem. Rom. 10. 10. vbi confessio oris, suæ causæ, nimirum fidei adjungitur, ut necessarium effectum, ex quo tanquam ex infallibili signo vera fides agnoscatur: nec confessioni oris, ut causæ salus tribuitur, quasi confessione salutem mereamur, sed quod hac via ad salutem deducamur. Matt. 10. vers. 32. 33.

In Deum.

Dei nomen etiam multa significat in sacris literis. Angelis eum tum bonis tum malis tribuitur propter maximam, quam habent, potentiam. Psal. 8. 6. Minorem pauliſper quidem fecisti eum dijs, id est, angelis. 2. Cor. 4. 4. Deus sæculi hujus excæcavit mentes in infidelibus. Omnium hoc titulo magistratus, judices, ut sciant subditi cum Deo sibi negotium esse, cum vel obtemperant magistratui suo, vel repugnant. Psal. 82. 6. Ego dico dij estis Et quibus hominum falsa opinio divinitatem tribuit, idola dij appellantur. Iere. 10. 11. Denique Deus id solet dici cui tribuitur, quod vnius Dei proprium est:

Quæ nomen Dei significet.

ideò venter Epicureorum ad Philip. cap. 3. vers. 19. Deus appellatur, quòd in saginando omnem curam, solicitudinem, & cogitationem collocatam, ac fixam habent, cum imprimis studia, actiones omnes ad unius Dei gloriam, & próximi salutem conferri debeant.

Descriptio Dei.

Deus autem propriè hoc nomen obtinet, qui est Spiritus æternus, omnipotens, optimus, & omni modo infinitus ac proinde vnus. Quamvis verò infinitam Dei majestatem mens hominis finita capere non possit, nedum verbis eam explicare, tamen quatenus se nobis verbo suo, & operibus patefecit pro nostro modulo cognoscendum, & verbis, quibus utimur, se describendum exhibuit. Spiritum appellat Christus. Iohan. cap. 4. vers. 24. Deus est Spiritus, qui adorant eum, oportet ut Spiritu, ac veritate adorent: æternus Esaiæ. cap. 40. vers. 28. 1 Epist. ad Timoth. cap. 1. vers. 17. Psalm. 90 vers. 2 & Psalm. 102 vers. 26. Epist. Paul. ad Rom. cap. 16. vers. 6. Omnipotens Genes. cap. 17. vers. 1. Apocal. cap. 4. vers. 8. Optimus Matth. cap. 19. vers. 37. Infinitus Psal. 100. vers. 39. Vnus. Deut. 6. 4. Audi Israel, Dominus Deus noster Deus unus est. 1. Cor. 8. 4. 1. Timot. cap. 2. vers. 5. Vnus Deus, unus Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Verùm enim verò unum esse Deum credimus essentia, in qua sunt tres personæ. Et quamvis Essentia, Trinitas, vocabula in scripturis non reperiantur, res tamen ipsæ luculenta testimoniis sunt manifestæ. Vsurpantur autem à sanctis viris necessariò vocabula illa, ut hæreticorum improbitati obviam eatur. Essentiam Dei vocamus naturam tribus illis personis communem, personas verò eos, qui in hac ipsa natura subsistunt: nec personæ sunt tres dii, sicut tot sunt homines, quot sunt personæ natura humana præditæ, sed singulæ personæ sunt unus, & idem perfectus Deus, cujus essentia, cum sit simplicissima, infinita, & impartibilis, tres in ea personæ non sunt separatæ vna ab alia, sed dun-

Vnus essentia trinus personis Prolepsis

Quid essentia. Quid persona.

tax

taxat distinctæ ita, ut Pater, qui à nullo est non sit Filius, aut Spiritus sanctus, sed Pater duntaxat, Filius qui à Patre est, nec sit Pater, aut Spiritus sanctus, sed Filius duntaxat: nec Spiritus sanctus, qui à Patre & Filio procedit, sit Pater, aut Filius, sed Spiritus sanctus duntaxat. Psal. 2. vers. 7. Filius meus es, ego hodie genui te. Hebr. cap. 1. vers. 5. Iohan. cap. 15. vers. 26. Cum autem venerit Consolator ille, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus ille veritatis, qui à Patre procedit, ille testabitur de me. Singulæ autem personæ unus, idemque perfectus Deus, coæternæ, coessentiales, & coæquales, ordine non gradu sunt distinctæ. Qua verò ratione Filius à Patre genitus, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedens æterna totius essentiæ Dei communicatione intelligatur, tam ego adorandum mysterium esse agnosco, de quo & sobriè meditandum, & loquendum sit, quàm verissimum esse ex sacra scriptura persuasum habeo. Tres esse distinctas in essentia divina personas ex veteri testamento docent primùm, quæ sequutur testimonia. Genes. cap. 1. vers. 26. Faciamus hominem ad imaginem nostram, ubi Pater Filium, & Spiritum sanctum alloquitur, qui unus sunt essentia Deus: & Genes. cap. 11. vers. 7. Descendamus, & confundamus ibi sermonem eorum. Deus Pater Filium & Spiritum sanctum alloquens turris Babelis extructionem interrumpere statuit. Esaias cap. 6. versu. 8. Quem missurus sum, quis iturus est nobis? Priori membro unitatem essentiæ, posteriore distinctas esse personas indicat. Sic Psalm. 149. vers. 2. Lætetur Israel in facientibus ipsum, ad verbum ita legimus. Omnium maximè in veteri testamento perspicuè Haggæus cap. 2. vers. 4 & vers. 5. Confirmare universe populo hujus terræ, dictum Iehovæ, & perficite, sum enim vobiscum, dictum Iehovæ exercituum, cum *Verbo*, quo pepigeram vobis-

Tres in divina essentia personæ distinctæ

vobiscum, exeuntibus vobis ex Ægypto, & Spiritu meo stante in vobis: ne timeatis. Nihil autem luculentius tradi potest in Novo testamento, quàm tres in una divina essentia personas esse. Mat. 3. 16. 17. Baptizatur Filius ab Iohanne, qui videt super baptizatum, quasi columbam descendentem, & venientem Spiritum sanctum, & vocem patris è cœlo audit dicentem, Hic est filius ille meus dilectus, in quo ac quiesco. Idem cap. 28. 19. Profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filij, & Spiritus sancti. Ioh. 14. 16. 17. Ego rogabo Patrem, & alium consolatorem dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. 17. vers. Spiritum illum veritatis, quem mundus non potest recipere. 2 Cor. 13. 13. Gratia Domini Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis. Amen. 1. Ioh. 5. 7. Tres sunt qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Vnus igitur Deus essentia, personis trinus est, in quem credo, quem unicè amo, in quo acquiesco, & fiduciam omnem collocatam, ac fixam habeo, certo mihi statuens salutis, & æternæ fœlicitatis, quam spe firma expecto, authorem esse. Sic non sunt idem credere in Deo, & credere in Deum. Augustinus in Iohannem, tractatu 29. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem ille misit. Sed si creditis in eum, creditis ei, non autem continuò qui credit ei credit ineum: Nam & Dæmones credebant ei, & non credebant in eum. Rursus etiam de Apostolis ipsius possumus dicere credimus Paulo, sed non credimus in Paulum: credimus Petro, sed non credimus in Petrum. Credenti autem in eum, qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam. Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari. Ipsa est ergo fides, quam de nobis exigit Deus: et non invenit quod exigat, nisi donaverit, quod inveniat. At non qualiscunq; fides, sed fides que per dilectionē operatur. Ad Gal. 5, 6. In con-

Vera fidei effecta.

texta

textu post vocem *(Deum)* appingi debet *hypostigme*: vocabulum enim *Deus* ita conjungitur cum Patre, ut non separetur à Filio & Spiritu sancto. Nam tres personæ quasi per appositionem subjiciuntur ordine, cum dicimus credo in Deum Patrem, & in Iesum Christum filium unigenitum, credo in Spiritum sanctum, quasi diceremus credo in Deum, qui est Pater Filius & Spiritus sanctus. Atquæ hæc sophismatis vitandi causa credo in Deum Patrem. Ergo Filius & Spiritus sanctus non sunt Deus, sed solus Pater.

In Patrem omnipotentem.

In Patrem credimus, qui est prima Trinitatis persona, sed qua significatione, & respectu Patrem dicimus quærendum nobis. Multa enim vox illa in sacris literis significat. Primùm synecdochicè, quia rerum omnium author, & conservator est solus Deus, ei primùm, ac propriè Patris nomen tribui debet, Matt. 23. 9. Vnus enim est Pater vester qui in cœlis est. Hanc prærogativam etiam hominibus communicat, ut et ipsi sint patres qui nos ex semine genuerunt & Patres carnis appellantur. Heb cap. 12. vers. 9. Pater quoque Deus dicitur respectu Filij, quem ab æterno genuit. Ephes. cap. 1. 3. Col. 1 3. Est & Pater Deus adoptione spirituali, quia nos anteà alienos, & iræ filios non modo in familiam suam, sed in prærogativam, & ejus liberorum, ut simus hæredes ipsius, cohæredes Christo, in Christo primigenito adoptavit, & adscivit. De qua adoptione ejusque fructu. Ephes. 1. 5. & 2. vers. 1 2. 13. Rom. 8. 17. Prætereà patrem affectu appellamus eum, qui animum erga nos paternum gerit, qui consiliis regit, qui fovet, qui alit, qui docet, & denique qui ea præstat, quæ Pater liberis ex affectu paterno facit. Quomodo dixit Terentianus Mitio; Natura tu illi Pater es, consiliis ego. Sic Prophetæ patres dicebantur eorum, quos docebant. 2. Reg. 2. 12. Et discipuli Prophetarum filij. Paulus Pater Timothei. Denique natu grandiorem patrem dicimus. Cui tanquam

Multa nomen patris significat.

quam Patri natura honorem deferimus 1. Timoth. 3.5 Verùm in verbis symboli non respicimus ætatem: sed credimus in Deum Patrem à quo, per quem & in quem sunt omnia, Rom. 11.35. Qui Pater est natura Domini nostri Iesu Christi, noster verò adoptione: qui denique affectu erga nos paterno, & constantissimo amore Patres natura omnes superat, Psal, 27, vers. 10. Nam Pater meus & mater mea derelinquunt me, sed Iehova recipiet me. Esai. 45. 15. 16. Quibus argumentis adduci nos oportet, ut in uno Deo Patre fiduciam collocemus, & ab eo optima quæque expectemus, Mat. 7. 9. 10. 11, Describitur Deus Pater ab omnipotentia, quam fecit initio manifestam in creationis opere, & in rerum gubernatione, ac conservatione perpetuò exerit. Omnipotentem credo, quia omnia, quæ vult efficit nihilque ei possit resistere, & quæcunque non decrevit, impediat confundat, dissipet Psal. 115. 3 Atque Deus noster in cœlis est, quicquid placet, facit. Omnipotens etiam dicitur quia nulla difficultate, sed nutu solo facit omnia. Esai. 40, 28. An non novisti, an non audivisti Deum æternum, Iehovam creatorem extremitatum terræ, neque defetisci, neque defatigari? Omnis quoque potentiæ, ac roboris author est. Dat enim defesso virtutem, & defecto viribus robur copiosè suppeditat. Esaias eodem capite 29. Multa denique potest efficere, quæ non vult tamen, ut ne Filius in crucem ageretur, impedire potuit. Quare priùs, quid decreverit, & voluerit Deus, quàm quid possit efficere, quærendum est. Illud mordicus tenendum nos talem in Deo omnipotentiam credere, quæ nullam contradictionis repugnantiam contineat vel apertam, vel implicatam. Nam ut humana Christi natura sit in cœlo, & non sit in cœlo eodem tempore, sicut Pontificij tradunt, non potest efficere: illud enim esset mentiri, quia altera contradictionis pars semper falsa est, & mentiri, non potentiæ, sed infirmitatis est argumentum. Nec potest Deus, quod essentiale rei cuipiam

Quibus modis Deus noster est Pater

Doctrinæ vsus.

Omnipotentia, quæ multis modis manifesta est.

Admonitio

sit

sit detrahere salva essentia, ut si quis infinitam esse divinæ naturę detrahat, aut loco circumscriptam esse corporeæ naturæ: nam si quis essentiales proprietates negat, necessariò ipsam negat essentiam. Itaque Deus efficere non potest, ut factum sit infectum, ait Augustinus. nec potest mori, nec potest se ipsum negare, nec mentiri ait Paulus ad Tim. Contradictio enim hic esset simul vtraque parte vera. Omnipotentia igitur sic in Deo intelligenda est, ut Deus possit, quæcunque contradictionis impotentia careant, Magna hic consolatio, & fidei argumentum nos in eum Patrem credere, qui & uelit, & possit omnia efficere, quæ ad ipsius gloriam, & nostram salutem pertinent. *Consolatio*

Creatorem.

Omnipotentiæ demonstratio est. Omnipotens enim Deus rerum uniuersitatem ex nihilo condidit. Cœli autem & terræ nominibus ut Genes. 1. 1. res omnes creatas significat, ut & cœlum, aerem, aquam, terram, & quæ ijs continentur omnia, complectatur. De creatione rerum in caput primum, & secundum Geneseos disseruimus: unde si commodum videatur, plura in hunc locum erunt repetenda, Cæterùm, quia Deus non solum rerum creator est, sed etiam conservator, & gubernator, de gubernatione Dei, quam Providentiam vocamus, breviter dicendum erit. Est autem providentia Dei, opus Dei, quo omnia secundum suam voluntatem & decretum gubernat, & ad suam gloriam, & electorum salutem dirigit. Dei enim providentia quicquid fuit, fuit, quicquid est, est, & quicquid futurum erit, futurum erit. Psal. 93. vers. 1. Iehova regnat &c. Etiam stabilitur orbis habitabilis, ne dimoveatur. Psal. 103. vers. 19. Iehoua in cælis stabilivit solium suum, & regnum ipsius omnibus præsidet. Act. cap. 17. vers. 25. Ipse dat omnibus vitam, & habitum, & omnia, & 28 *Creatio omnipotentia diuina demonstratur.* *Providentia quid.*

In

In ipso vivimus, movemur, & sumus. Mat. cap. 10. vers. 29 Nonne duo passerculi asſario væneunt, & unus ex iis non cadit in terram sine Patre vestro: vestri verò etiam capilli capitis omnes numerati sunt. Ephes. 1. 11. Omnia efficit ex consilio voluntatis suæ. Quæ verò maximè videntur fortuita, ea Dei etiam providentia reguntur. Proverb. 16. 33. In gremium conjicitur sors: à Iehova autem est tota ratio ejus. Et cap. 21. vers. 1. Animus regis est in manu Iehovæ, quocunque vult inclinat eum. Psal. 147. 9. Dat jumentis cibum suum, pullis corvorum qui crocitant. Psal. 135. 6. Quicquid placet sibi, Iehova facit in cœlis, ac in terra, per maria, & omnes abyssos, faciens ut ascendant vapores ab extremitate terræ, fulgura cum pluvia facit, depromit ventum è thesauris suis. Esai. 45. 6. Ego Iehova, & nullus præterea, præter me nullus Deus, ut cognoscant gentes ab ortu solis, & ab occasu ejus nullum esse præter me, me Iehovam esse, & nullum præterea, formantem lucem, & creantem tenebras, facientem pacem, & creantem malum, me Iehovam facere omnia ista. Act. 4. 27. Coacti sunt in hac civitate verè adversus sanctum filium tuum Iesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Israelis, ut facerent, quæcunque manus tua, & consilium tuum definierant, ut fierent. Ex quibus perspici potest omnia Dei immutabili consilio, & decreto, quæ fierent, ab æterno constituta, ac definita Dei providentia ad ipsius gloriam, & electorum salutem dirigi. Est enim Dei consilium, quod *prognosis*, & *prothesis* dicitur rerum omnium prima causa. Act. cap. 2. vers. 23. & 15. vers. 18. Rom. 8. 28. Hinc subjcitur prædestinationis decretum de præcipuarum creaturarum æterna salute & condemnatione: cujus species sunt duæ, decretum electionis, quo proposuit angelos quosdam in statu integro, in quo erant condendi conservare & ex communi interitu, in quem se homines sponte præcipitaturi erant eos, quorum misereri vellet servare, & æterna vita do-

Dei consilium.
Prædestinatio.
Decretum electionis.

nare

nare ad laudem gloriosæ suę gratiæ. Rom. 8. 28. Ad Eph. 1. 5. Et decretum reiectionis, quo Deus sibi proposuit eos tum angelos, tum homines, quorum non vellet misereri (cui enim obstrictus est?) propter peccatum, cui sponte futuri erant obnoxij, æterno exitio damnare ad suam justitiam declarandum. Prov. 16. 4. Exod. 9. 16. Rom. 9. 22. 2. Pet. 2 4. Epist. Judæ 4. Quo autem pacto mala etiam ex immutabili Dei consilio fiant, ut mali nullius sit author Deus, videndum est nobis, & quo res melius intelligatur, mali ambiguitas tollenda est. Aliud igitur est malum, quod vocant culpæ: quod à malis angelis, & hominibus solis admitti potest, quatenus peccatum est: Aliud est pœnæ malum, quo Deus iratus punit improbos, vel electos suos castigat, & eorum fidem explorat, de quo Esai. 45. 6. Vbi Dominus ait se facere pacem & creare malum. Et Amos 3. 6. An erit malum in civitate, quod Iehova efficiat? id est, afflictio. Vtrumque verò malum tum ex causis efficientibus, tum ex finibus & efficiendi modo distingui debet, sic una eademque actio alia, atque alia est, pro diversa causarum effectione, & earum agendi modo. Deus enim sapientissimus ita per malos angelos, & homines benè agit, ut ipsi semper interiori suo motu spontaneo malè agant. Per malos autem non in malis agit Deus: nam in iis solum agit, quos suo spiritu regit. Verùm hæc exemplis clariora fient. Perduxit Iosephum Deus servum suum in Ægyptum ut evectus in summũ honoris gradum domicilium Ecclesiæ parare, & adversus famem præsidio esse posset, sed pessimis instrumentis usus optimè Satana, fratres adversus innocentissimum fratrem impellente, ipsorum fratrum pessima voluntate, mercatorum avaritia, sceleratissimæ mulieris libidine, qui omnes gravissimè peccârunt quatenus fuerunt suarum actionum principia. Deus verò opus suum bonum peregit, ut Iosephus ipse interpretatur Genes. 50. 20. Vos quidem cogitaveratis contra me malum, sed Deus cogitavit illud in bonum convertere

Decretum reiectionis.

Prolepsis.

Duplex malum

Respectu causarum efficientiũ & finium actio eadem alia atque alia est.

Exempla.

tere, ut faceret, sicut est die hoc conservandoi n vita populum multum. Affligere, & tanta calamitate Iobum afficere peccatum fuit, si Satanæ perversitatem, Chaldæorum avaritiam cum crudelitate coniunctam spectes: gravissimè enim peccavit Satan, servum Dei tot malis afficiens, & prædones illi aliena diripientes pessimè egerunt, sed optimè egit Dominus fidem sui servi probans & Satanæ conatus omnes adversus Ecclesiam irritos esse demonstrans. Bonum fuit Davidem castigari etiam post agnitum & condonatum peccatum Achitophelis perfidiam, & Abschalomi sceleratum animum patefacere & vindicare: vitur adeas res peragendas Dominus Satanæ rabie, Achitophelis perfidia, Abschalomi ambitione, nefaria libidine, impietate, quibus pessimis instrumentis multa est optimè executus. Declaravit enim quantoperè sibi displiceant adulteria & doli: Davidem paternè castigavit, Achitophelem ipsiusmet manibus punit: facit denique ut semet ipsum Abschalomus ultrò perdat. Omnium Dei operum fuit præstantissimum redemptio humani generis per Christum, nam tradidit eum Pater propter nostra peccata definito consilio Act. 2.23. Et Pater is est qui Filio suo non pepercit. Rom. 8.32. Ad quam rem efficiendam Deus optimè pessima adhibuit instrumenta, Satanę malitiā in cor Iudæ ingressi, Iudæ avaritiam, & execrandam perfidiam, Iudæorum desperatissimam improbitatē, Pilati mollitiem & præpostorum metum, quorum nemo non gravissimè peccavit, eòq; nomine postea à Deo severissimis pœnis affectus fuit: unum igitur, idemq; opus respectu Dei summo in nos amore filium in mortem tradentis, & nos à morte redimentis ad laudem tum misericordiæ, tum justitiæ ipsius præstantissimum fuit, sed Iudæ, Satanæ, Iudæorum & Pilati respectu nullum scelus existere potuit terrius. Dei voluntate, id est, decreto affliguntur pij. 1. Pet. cap. 4. vers. 19. ut Deus in suis glorificetur: Virtus autem in infirmitate perficiatur. 2. Cor.

cap.

esp. 12.9. At improbi à Satanæ Spiritu acti nostram perniciem molientes Dei gloriam obscurare conantur Neque illud absurdum videri debet malos facere Dei voluntatem, si voluntatis nomine id intelligas quod Deus volens decrevit, ut fieret, & faciendi verbum non ad consilium malorum, sed ad ipsum rei exitum referas: sui verò voluntatis nomine id significetur, quòd Deo per se gratum est, et faciendi verbo includas rectum obediendi affectum, tantum abest ut mali Dei voluntatem faciãt ut toti in contrariã partem ferantur. Deus igitur sive per malos castiget servos suos, sive illos committat inter se, & justissimè puniat, optimè voluntatẽ suã exequitur. Si Dei efficientiam, & optimũ ipsi finem propositum, adeoque sanctissimũ agendi modum spectemus. Quod verò eadem actio peccatũ est, id à satana impellente, & corrupta hominis voluntate, pessimoq; utriusq; consilio proficiscitur. Cũ enim spontaneo motu satanas & mali homines ad agendũ ferantur meritò peccati nomẽ obtinet, quod ab ejusmodi causis existit. Interea Deũ sanctissimè efficientem suum opus efficaciter agere testantur scripturæ sacræ. Exod. 4.21. & 7.6. Ego verò obstirmabo cor Pharaonis &c. Rom. 1.25. Tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem, ut fœdarent corpora sua inter se. Sic enim decretum Dei de puniendis impiis exequitur, ut eos satanæ et ipsorum cupiditatibus agendos tradat, & eos suo Spiritu destituendo consilia, & actiones ad destinatũ à se finem dirigat: & quanvis, quę fiunt, aliter evenire non possunt, quàm Deus suo decreto constituerit, tamen contingentia non tollitur, cùm non coactè, sed sponte agant etiam corrupti homines, & deliberatione habita inter duo mala hoc illi anteponãt. Illud autẽ dubitationẽ afferre videtur maximã, cum bona initio cõdita fuerint omnia, & nihil Dei decreto eximatur, quî nam ipse non sit omnis mali author? Ad hoc in caput. tertium. Genes. respondimus peccati causam fuisse bonorum Angelorum. Nam condiderat eos

Deus

Deus mutabiliter bonos: alioqui tot Deus, quot mutabiles creavisset. Voluntas igitur eorum sese ultro immutavit, cùm Deus eam sua confirmante gratia destituerat (cui enim obstrictus est?) vt voluntas humanarum actionum præcipua causa in divini decreti executione intervenerit, cui rectissimè omnis vitij & peccati causa tribui debet. Nullius itaque peccati causa est sanctissimum illud Dei consilium & decretum: sed præcipuarum creaturarum voluntas ipsa, quæ sponte eò solum inclinavit, quo immutabili decreto dirigere constituit Deus.

Fructus doctrinæ de Providentia Dei.

Idcirco cùm res humanas non fortuitò aut casu gen
1 sed Dei providẽtia, prout ab æterno decreverit, gubernari omnia credamus, ut ne Satanæ, aut improbis hominibus liceat, ullo modo quod ipsis libet pessima voluntate. In rebus adversis ad mansuetudinem, & patientiam colendum assuescere nos oportet, & memoria perpetuò tenendum, quicquid adversi nobis immittitur id evenire ex paterna Dei volũtate, & consilio, qui justas semper causas habet, propter quas suos affligat, sive fidem eorum explorat, sive eos humliet. Iosephus summa vsus mansuetudine & clementia, etsi gravissimis affectus injuriis à fratribus suis, non modo iis ignoscit, sed ultro etiam consolatur. Genes. 50. 21. Iobus cum à Deo bonorum direptionem factam esse sciret, Dei voluntati acquiescit, & gratias agit, Iehova dedit, & Iehova recepit, sit nomen Iehovæ benedictum. Iob. 1. 21. Intelligit David maledicta Simei à Iehova esse, ideò se comparat ad patienter ferendum, & ipsius afflictionem Deum respecturum confidit. 2. Samuel. 16. 9. 10. qua vna cogitatione fiet, ut injuriis læsi ultionem Domino, quod ipse jubet, relinquamus. Deinde cum res sunt nobis Dei beneficio prospe-
2 re de illius providentia etiam atque etiam meditandum ut gratis animis largientis beneficentiam celebremus. Sin

pro-

Præcipit Moſches Dei populo. Deut. 8. 10. Cum comederis & ſaturatus fueris benedices quoque Iehovæ Deo tuo in illa terra optima, quam dederit tibi. 1. Theſſ. cap. 5. 18. In omnibus gratias agite: hæc enim eſt voluntas Dei per Chriſtum Ieſum erga vos. Denique providentiæ Dei meditatio metum trepidantem demit, fiduciam excitat & firmat, bonam ſpem fovet, & futuros caſus omnes intrepidè ſubire docet, cùm certò noverimus omnia Dei unius nutu geri, & illum diligentibus omnia ſimul adjumento eſſe ad bonum Rom. 8. Caſtra metantur angeli circa timentes eum, & eripit eos. Pſal. 34. 8. & verſ. 19 Propinquus eſt Iehova fractis animo, & contritos Spiritu ſervat. Multæ ſunt afflictiones juſti, ſed ex omnibus illis eripit eum Iehova. Pſal 91. 12. Angelis ſuis præcipiet, ut conſervent te in omnibus viis tuis. & Pſal. 145. 18. Propinquus eſt Iehova omnibus invocantibus ipſum omnibus, qui invocant ipſum fide.

2. *Artic.*

Et in Ieſum Chriſtum.

1 *Secunda ſymboli pars de Redemptore.*

De prima ſymboli parte diximus: in ſecunda de Filio Dei redemptore dicendum. De perſona illius hoc, & ſequenti articulo: de officio quatuor reliquis. Ex primo articulo verbum *Credo* repetendum eſt. Sicut enim credimus in Deum Patrem, ſic credimus in Deum Filium. Præcipit enim Chriſtus. Ioh. 14. 1. Creditis in Deum, etiam in me credite, Ioh. 6. 29. Hoc illud eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille. Ioh. 3. 36. Qui credit in Filium habet vitam æternam, ut omnes honorent filium, ſicut honorant patrem. cap. 5. 23. Ex quibus luculentè conſtat verum Deum eſſe Filium Ieſum Chriſtum, in quo fiduciam collocare, ſicut ab eo ſalutem omnem expectare debemus. Quatuor autem attributis deſcribitur hoc articulo Filius Dei, nimirum Ieſum eſſe Chriſtum, unigenitum Filium, & Dominum noſtrum. Ieſus nomen, quod Hebraicè *Iehoſchua*, & contractè *Ieſhua* profertur, à radice *Iaſchabh*, quæ ſervare ſignificat.

Quatuor Chriſti attributa

Notationem nominis affert Angelus Dei. Mat.1.20.21. Ioſephe, Fili Davidis ne metue accipere Mariam uxorem tuam: nam quod in ea genitum eſt, ex Spiritu ſancto eſt: pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Ieſum. Ipſe enim liberabit populum ſuum ex peccatis ipſius. Et priùs quam in utero conciperetur, juſſit Angelus hoc nomine vocari. Luc.1.30.31. Ne time Maria, es enim in gratia apud Deum, & ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Ieſum. Octavus autem dies cùm adveniſſet ad circumcidendum puerulum vocatum eſt nomen ejus Ieſus, quod vocatum fuerat ab angelo, priuſquàm ipſe in utero conciperetur. Luc.2.21 Matt.1.25. Reſpondent rebus, quod vulgò dici ſolet, nomina ſæpe ſuis. At cui nomen interprete Dei angelo tribuitur, talem eum omnino eſſe oportet, ut nihil nominis appellatione indicetur, quod ipſa re non exhibeatur. Credimus itaque Ieſum eſſe Filium Dei, qui nos ab omni peccato ſolus perfectiſſimè ſervat, ut nulla ſit iis condemnatio, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Rom.8.1. Nam ſanguis Ieſu Chriſti Filij Dei purgat nos ab omni peccato, & ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, ac juſtus, ut remittat peccata noſtra, & purget nos ab omni iniquitate. Epiſt.1.Ioh.1.7. & 9. Perinde autem eſt ſive Filius, ſive Pater in Filio peccata remittere dicatur. Quod ita nobis eſt accipiendum, ut non ſolùm ab omni reatu peccati, ſed etiam ab omni pœna liberemur. Qui enim ſublata cauſa non tollatur effectus? Pſal. 103.vers.3. Qui condonat omnes iniquitates tuas, qui medetur omnibus morbis tuis. Et ex fœdere dixit populo ſuo, id eſt, electis ſuis fide gratuitam promiſſionem recipientibus, ſe condonare iniquitatem ipſorum, & peccati ipſorum non recordari ampliùs, Ierem.31.34. Heb. 10.17. Ieſum ſolùm perfectiſſimè ſervare multa docent ſcripturæ teſtimonia. Act.4.12. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo, quod datum ſit inter homines, per quod oporteat nos ſervari. Ioh.cap.14.vers.6. Nemo venit ad

Chriſtus et nomine & re ipſa ſervator.

Perfectiſſimè et ſolus ſervat.

Patrem

Patrem nisi per me, 1. Timoth. cap. 2. vers. 5. Vnus Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui unica oblatione consecravit in perpetuum eos, qui sanctificantur. Heb. cap. 10. vers. 14. & ad Heb. cap. 7. vers. 24. 25. Iste propterea quòd in æternum manet, perpetuum habet Sacerdotium. Vnde & *sozein eis to panteles. dynatai*, id est, perfectè servare potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens ut interpellet pro iis. Nam in eo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, & estis in eo completi, qui est caput omnis imperii & potestatis. Colos. cap. 2. vers. 9. & 10. Christo enim per fidem insiti sunt, completi, ut nihil ad plenam fælicitatem desiderari aut possit, aut debeat. Longè igitur à vero aberrant, qui operum meritis, aut alia te ulla salutem consequi se falsò putant. Alterum Filij Dei attributum est *Christus*, quo propriè humana natura in Christo significatur: illa enim a Spiritu fuit uncta. Esai 61. vers. 1. Spiritus Domini super me, propterea quod unxit me: sicut Christus sibi accommodat Luc. cap. 4. vers. 18. Et Deum sibi non admetiri Spiritum ait. Ioh. cap. 3. vers. 14. Nomen autem Christus à *Chrizein*, quod ungere significat, ut Hebræum *Maschiah* à radice *Maschah*, quod idem sonat. Multis autem locis scripturæ sacræ Dei Filio liberatori generis humani tribuitur hæc unctio, qua nihil aliud significatur, quàm semen mulieris, Filium Davidis secundum carnem ab assumente Natura divina cumulatissimè omnibus Spiritus sancti donis collocupletatum in Prophetam nobis, Sacerdotem, ac Regem constitutum esse, qui verus homo Spiritus sancti donis verè unctus in caput nobis, à quo tantorum bonorum participes fiamus. Ob hanc causam Prophetæ, Sacerdotes ac Reges Dei præstituto ungebantur, ut veteri Ecclesiæ summi illius tum venturi Sacerdotis, Prophetæ ac Regis typi essent, è cujus plenitudine tam

Elenchus

Christus

haurirent illi qui in venturũ credebãt, quàm quiin carne manifestato per fidem sunt insiti. Ab Elia unctus fuit in Prophetã Elizeus, uti jubet Deus 1. Reg 19.16. et Psa.105 15. Sic Deus ipse, ne attingitote unctos meos, & Prophetas meos, ne afficitote malo. Quos unctos vocat epexegesi Prophetas nominat. Sacerdotes quoque oleo externo, & typico ungebantur Exod 29.7. Iubet Deus Aharonem ungere, & acceptum (inquit) oleum unctionis funde super caput ejus, sic unxeris eum, Et Psal.133.2. Reges denique Dei jussu ungi solebant. 1.Sam. 10.1. & cap.16.12. Samuel Davidem ungit. 1.Reg.1 34. A Tzadoko sacerdote & Nathane Propheta ungitur Schelomo. Atque hac unctione non solùm missi à Deo Prophetæ, Sacerdotes, Reges constituebantur, sed etiam Spiritus sancti donis ad munus unusquisq; suum obeundum abundèimbuebantur. Vncti enim Prophetæ ad patefaciendum Dei voluntatem ipsius Spiritu agebantur, similiter sacerdotes Spiritu intelligentiæ, Prophetiæ interdum donabantur. In unctum Davidem Spiritus Iehovæ irruit. Verùm enim-verò hæc unctio typica venturum Christum nobis ungendum significabat in Prophetam, Sacerdotem ac Regem. Quæ res & veteris testamenti, & novi testimoniis manifesta erit, Talem autem esse Christum Iesum primùm docebimus: deinde illius & unctionis & donorum nos fieri participes. Prophetam ac Doctorem fore significat Mosches his verbis, Prophetam susciabo è medio fratrum ipsorum, sicut tu es, & indam verba mea ori ejus, ut eloquatur iis, quicquid præcepero ipsi: erit autem, ut quisquis non auscultaverit verbis meis, quæ locutus est nomine meo, ego reposcam ab illo. Deut. 18. 15. Esai. 55.4. En testem nationum constituo eum, antecessorem & præceptorem nationum. Ipsum audire vox Patris cœlitùs inclamans jubet. Mat 17 5. Hic est Filius ille meus dilectus, in quo acquiesco, ipsũ audite. Vt evangelizet se missũ fuisse dicit Luc. 4.18. Vt evangelizẽ pauperibus misit me, ut me-

Christus Propheta.

de-

dear contritis corde, ut prædicem captivis dimissionem & cœcis visusrecuperationē. Christus igitur ille princeps est past ū cui uni auscultandū, à quo uno vitæ & æternę salutis consequendę ratio discenda est. Oves illæ meę vocem meam audiunt, & ego eos agnosco, & sequuntur me, & ego vitam æternam do iis. Ioh. 10.27.28. Salutis doctrinam Christum patefeciſſe testatur Iohannes, Deum (inquit) nemo vidit unquam, unigenitus ille Filius qui est in sinu Patris, ille exposuit. Ioh. 1.18. & infrà 15., Omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis. Iurejurando Sacerdos constituitur Christus Psa. 110.4. Iuravit Iehova, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in sæculum secundum ordinem Melchisedeci. Ad Heb. 7. 17. Ille nunc semel in consūmatione sæculorum ad peccatum per immolationem sui ipsius abolendum patefactus, qui per proprium sanguinē ingressus est semel in sacrarium æternam redemptionem nactus Heb. 9.26. Et vers. 12. Ingressus est autem in sacrarium, id est, cœlum, ut compareat nunc faciei Dei pro nobis. Heb. 9.24. Ille itaque unico sui sacrificio expiavit peccata nostra, & ad dexteram Dei sedens interpellat pro nobis, ut merito suæ satisfactionis, & vi perpetuæ intercessionis peccatorum remissionem, justitiam, & vitam æternam nobis impetret. Næ illi insaniunt, qui Christi sacerdotio nostra causa iurejurando constituto, non acquiescunt, unico illius sacrificio non expiata esse peccata omnia, aut alio intercessore opus esse apud Deum opinati. Regnum Christo attributum legimus. Psal. 2.6 Atqui ego inungens regem meum præfeci Tzijoni, monti sanctitatis meæ, & Psal 100. 1.2. Ephes. 1.20. Psal 45.7. Solium tuum ô Deus in sæculum, & sempiternum, sceptrum rectum est sceptrum regni tui. Luc. 1.35, Regnabit in domo Iacobi in æternum, & regni ejus non erit finis. De regni sui amplitudine ipse Christus Matt. 28.18. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: Ad ministratur autem regnum hoc spirituali ratione ac

Sacerdos

Elenchus

Rex.

modo. Christus enim Deus & homo infinita cùm potentia, tum sapientia regit omnia: Ecclesiam verò suam sceptro verbi sui, & Spiritus sancti operatione, in qua & residet, & dominatur in medio inimicorum suorum Psal. 110.2. Quare securè Christo Rege licet acquiescere nihil metuentibus conatus omnes, ac furores Satanæ ipsius, nedum improborum hominum: fieri enim non potest, ut quenquam perire sinat, quem pretioso suo sanguine acquisivit. Ioh. 10.28.29. Vnctionis verò ac donorũ Christi participes fieri fideles arguit Christiani nomen à Dei Spiritu ipsis tributum, qui priùs discipuli dicebantur, cum Paulus & Barnabas annum totum convenissent in Ecclesia, & multã turbam docuissent, Antiochiæ primùm Christiani sunt appellati. Act. 11.26. Quo nomine Christi beneficium, & Spiritus sancti unctionẽ agnoscentes se uni summo Prophetæ Christo auscultare, unius sacerdotio ac regno acquiescere, unum salutis authorem revereri, & colere profitebantur. Et quanuis celebre fuit nomen, & gloriosum piis omnibus, quod et 26.21. Actorum, & 1. Pet. cap. 4.15. 16. intellgi potest, tamen à Satana, persecutione excitata adversus Ecclesiam Dei non solũ professio exangelii, sed ipsum etiam Christiani nomen est odio habitum. Tertullianus in Apologetico: bonũ virum (inquiunt) Cajus Ceius, sed malus tantùm quod Christianus. Et paulò infra, oditur ergo in hominibus innocuis etiam nomen innocuum. At quam impijs odiosum nomen est, tam piis charum esse debet, ut nihil æquè studeant, ac fide vera, pietate, & vitæ sanctimonia honorificum hoc elogiũ tueri, neq; tam videri, quam esse Christiani velint. Fideles unctos esse testantur etiam expressa scripturæ testimonia. 1. Ioh. 2.20. At vos unctionẽ habetis à sancto illo profectã, et nostis omnia. & v. 27. Sed unctio, quã vos accepistis manet in vobis nec necesse habetis, ut quisquã doceat vos: verũ sicut eadẽ unctio docet vos de omnibus, & verax est, & non mẽdax, & sicut docuit vos manebitis in eo. Est enim spiritus Christi, qui gignit in

Vnctionis Christi nos fieri participes.

in nobis fidem, & in omnem veritatem inducit. Ioh. 16,13. Idem ille nos Reges, ac Sacerdotes facit. 1. Pet. 2. 9. Vos autem estis genus electum, regale Sacerdotium gens sancta, populus, quem sibi ut proprium vendicat. Apocal. 1. 5, 6. Dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris per sanguinem suum, & fecit nos Sacerdotes Deo & Patri. Ex quibus perspicuè intelligi potest fideles à Spiritu Christi sic ungi, ut ipsi communione bonorum illius pro mensura doni ejus, prophetici muneris, Sacerdotalis & Regij participes fiant. Cujus rei causa est, quod nos per fidem simus membra corporis ejus, ex carne ejus, & ex ossibus ejus. Eph, 5, 30. An ignoratis corpora vestra esse membra Christi, 1. Cor. cap. 6. 15. Ob quam causam se viti, fideles palmitibus comparat. Ioh. 15. & Paulus ad Ephes. 3. 17. Inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris. Fidei autem vinculum arctissimè astringit Christi Spiritus, Rom. 8. 9. Si quis Spiritum Christi non habet is non est ejus. Quòd si revera Christian simus, id est, unctionis Christi participes, necesse est, pro vocationis ratione & mensura doni Christi Prophetæ simus, qui non solùm cognitam, & perceptam evangelij doctrinam habeamus, sed eam apertè etiam profitentes alios Christo lucrifacere, & Dei misericordiam nullum supplicij genus refugientes justitiæ cauta celebrare non intermittamus. Luc. 22. 32. Sic Christus Petrum monet. Tu igitur aliquando cum te converteris, confirma fratres tuos. Ma. 10. 32. Quisquis eõfitebitur me corã hominibus confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis 1. Pet. 3. 15. Estote semper parati ad respondendũ cuilibet petenti rationẽ ejus spei, quæ in vobis est cum lenitate, & timore. Et quanvis, ex quo unico sui sacrificio Christus purgavit nos ab omni peccato, nõ superest ullũ pro peccato sacrificiũ, tamẽ Eucharistica sẽper sunt à nobis offerẽda. Ac 1. nos ipsos Deo cõservare oportet. Ro. 12. 1 Adhortor vos fratres per miserationes Dei, ut sistatis corpora vestra hostiam vivam, sanctã, acceptã Deo: deinde pro Dei

Nos prophetæ

Sacerdotes

maximis in nos beneficiis gratias agere debemus assiduè, pauperibus, & egenis liberaliter è bonis nostris erogare Heb.13.15 16. Per ipsum igitur (nimirum Christum) assiduè offeramus Deo sacrificium laudis, id est, fructus labiorum celebrantium nomen ejus. Beneficentiæ & communicationis ne obliviscimini: talibus enim victimis delectatur Deus. Præterea in Christo habemus libertatem, & aditum cum fiducia per fidem ipsius. Ephes.3.12. Per quem clamamus Abba, id est, Pater, ut Christi unius intercessione freti, Deum non solùm pro nobis, sed etiam pro fratribus interpellemus. Quò pertinet cohortatio illa. Heb 4.16. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.

Regni

Quod ad regnum munus attinet, et si in multis labimur omnes, tamen Christi Regis virtute freti pravis cupiditatibus reluctamur, Diabolo resistimus, & tandem aliquando de hostibus nostris omnibus triumphabimus: Qui enim consisteremus adversus tam potentes, fraudulentos, & immanes adversarios, nisi regio præsidio, & ope communiti essemus? frustra etiam tot cohortationes fierent, nisi daret Deus, quod à nobis exigit. Rom.6. 12. Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis peccato in cupiditatibus corporis. Ad Ephes.4. 27. Ne date locum Diabolo. Iac.4 7. Resistite Diabolo, ac fugiet à vobis, Cui per fidem resistite. 1 Pet.5. Tantisper autem nulla virtute nostra, sed viribus à Christo suffectis cum hostibus nostris peccato, Satana dimicamus, donec tandem æterni regni hæredes illam justitiæ coronam consequemur 2. Timoth.cap.4 8. Quod reliquum est, reposita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, justus ille judex, non solùm autem mihi, sed & omnibus, qui expetierunt illustrem illum ipsius adventum. Tum enim profligatis hostibus verè regnabimus.

Pri-

Vnigenitum filium eius.

Tertium Filij Dei attributum: unigenitum Filium Dei esse testatur Iohannes cap. 1.14. Spectavimus gloriam ejus, ut unigeniti egressi à Patre. Vbi (*hos*) non similitudinem, sed rei ipsius veritatem significat. Ipse etiam Christus de se. Ioh. 3. 16. Ita enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, & 18. Qui credit in eum, non condemnatur, qui non credit jam condemnatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filij Dei. Vnigenitum ideò vocat, quia sit natura Dei Filius, ab æterno genitus, coæternus, & coæqualis Patri, Ille est ad quem dixit Pater Psal. 2.7. Filius tu meus es, ego hodie genui te quam nulli angelorum prærogativam tribuit. Heb 1.1. Eodem sensu proprium Dei Filium vocat Apostolus Rom. 8 32, Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, qui non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur? Coæternum esse, & coæqualem Patri ex eo perspici potest, quia ante nullum tempus fuit. Sic Dei æterna sapientia, id est, Filius Dei Pro. 8. 22. Iehova possidebat me principio viæ suæ, ante opera sua, ante ullum tempus, ante sæculum inuncta fui, ante principia, ante primordia terræ. Esaiæ 7. 14 Immanuelem, id est, Deum fortem nobiscum, & cap. 9 6. Patrem æternitatis vocat. Ierem. 23. 6. Iehovam justitiam nostram appellat Apostolus. Rom. 9, 5. Qui est supra omnes Deus laudandus in sæcula. Et 1. Tim. 3, 16. Deus conspicuus factus est in carne. Quæ nobis firma fide tenenda sunt, ut cum unigenitum Dei Filium verum esse Deum noverimus, illi secure fides nostra nitatur: & Arianorum, deitatem Filij negantium, blasphemiam totis animis detestemur. Monet præterea hæc unigeniti appellatio, quanta nos charitate complexus sit cœlestis Pater, qui Filium suum pro nobis omnibus tradidit. Ioh, 3. Rom, 8. Cæterùm cum Spiritus testetur unà cum Spiritu nostro nos esse

Vnigenitus

Vsus doctrinæ

Prolepsis

filios

Filios Dei videtur unigenitus dici non posse, sed facile est respondere, unigenitum natura esse, nos vero, qui natura Filij sumus iræ, gratuita adoptione Filios esse, Gal,4,4,5. Quæ res non solùm nostræ miseriæ nos admonet, sed etiam officij, ut Patrem benignissimum, sicut par est, honoremus, ne ut olim cum populo suo nobiscum expostulet, Mala.1.6. Filius honorat Patrem, quòd si ego Pater sum, ubi honor meus.

Dominus

Dominum nostrum.

Filium Dei Dominum esse scribit Propheta David, Psal.110,1. Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ioh.20,29. Thomas Dominum suum vocat.1. Cor.8,6, Vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum. Act,2,26, Certò sciat tota domus Israelis, quod Deus hunc fecerit Dominum, & Christum, hunc ipsum Iesum, quem vos crucifixistis. Nostrum verò Dominum suo ipsius merito rectè agnoscimus: Nam nos non rebus caducis, argento, uel auro, sed pretioso suo sanguine à peccato, morte, & tyrannide Diaboli redemit, & in libertatem Filiorum Dei vindicavit.1, Pet,cap.1,18. Heb 2,15, Ioh.8. vers.36, Si vos Filius in libertatem vindicârit, verè liberi eritis. Qui bello captos redimunt, eos in servitutem abducunt: At noster Dominus excusso miserrimæ seruitutis jugo, quo premebamur, summo pro nobis persoluto pretio nos in veram libertatem asserit, quos non amplius dicit servos, quia servus nescit, quid facit Dominus ipsius: vos autem, inquit, dixi amicos, quia omnia, quæ audivi à Patre meo nota feci vobis. Ioh,15 15. Nostri tamen juris non sumus, sed cùm pretio empti simus, & in corpore, & in Spiritu nostro, quæ sunt Dei, par est Deum ac Dominum glorificemus. 1. Cor cap.6. vers.19, 20, Vni igitur Domino Iesu Christo adhæreamus, & debitam illi reverentiam referamus. Mala, 1. vers.6, Præte-

Vsus doctrinæ

rea

rea Dominus est tum creationis, tum conservationis respectu: per ipsum enim omnia facta sunt. Ioh. 1. 3. Et sustinet omnia verbo illo suo potente. ad Hebræos c. 1. vers. 3.

Qui conceptus est à Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. 3. Artic.

Filij Dei quatenus homo, ex adjuncta conceptione & nativitate, quæ suis illustrantur causis, descriptio est. In quem verũ Deum, et verum hominẽ necessariò credimus. Nisi enim credideris eundem Dei filiũ, eundẽq; Christum Filium hominis, nec Patrem tibi proderit confiteri: Augustinus sermone. 103. de Tempore. Conceptum prædicit angelus Luc. 1. 33. 24. 35. ubi quærit Maria, quo modo erit istud? Quandoquidem virum non novi? Et respondens Angelus dixit ei, Spiritus sanctus supervenit, in te, & virtus altissimi umbrabit te, propterea quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei. Et Matth. cap. 1, 20. Ait Angelus Iosepho, ne metue accipere Mariam uxorem tuam: Nam quod in ea genitum est, ex Spiritu sancto est. In verbis animadvertendum illud (*Ex*) causam efficientem priori membro articuli, ut posteriori materiam significari. Consimili modo utitur Iohannes 1. Epist. Cap. 5. vers. 1. Quisquis credit Iesum esse Christum illum *ec tou Theou gegenetai*. Nos verò ita conceptum per Spiritum sanctum credimus, ut primùm intelligamus naturam humanam, ex qua factus Dei Filius secundum carnem in utero virginis virtute Altissimi, id est, Dei Spiritu sanctificatam fuisse, talis enim nos decebat Pontifex sanctus, sine vitio, siue labe, segregatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus Heb. cap. 7. vers. 26. Deinde immediata actione Spiritum sanctum præter naturæ ordinem in utero Virginis hominem figurâsse, ut loquitur Augustinus: Cur non credis, (inquit) eum

Conceptus

A Spiritu

in

in utero incorruptæ Virginis potuisse hominem figurare quem credere debes hominem fecisse de limo terræ, sermone supra citato. Denique unionem hypostaticam duarum naturarum in ipso conceptionis momento ab eodem Spiritu sancto in utero matris factam esse. Est autem unio hypostatica, qua duæ naturæ divina, & humana in Christo invicem distinctæ in unam hypostasin siue personam coeunt. Non coeunt personæ, persona enim personam non assumit: sed Filius Dei quatenus Filius non angelos assumpsit, sed semen Abrahami, rearam nimirum ex promissione humanam naturam assumpsit, quæ sua personalitate, ut ita loquar, destituta, in æternum subsistit, ac sustentatur in hypostasi Filij assumentis. Ioh. 10. 17, Propterea Pater me diligit, quia ego depono animam meam, ut eam rursus assumam. Potestatem habeo deponendi eam, & potestatem habeo rursus eam assumendi, 1. Pet. 3, 18, Mortificatus quidem carne, vivificatus autē spiritu. Vna igitur Filij Dei, qua unus Deus, hypostasis, siue individuum vivens, intelligens, & per se subsistens. Duæ autem naturæ invicem distinctæ suis proprietatibus. Divina enim omnipotens, quia Deus: humana non est omnipotens, quia creatura non est creator, neque duo sunt omnipotentes, sed unus omnipotens. Divina & est, & manet infinita nullis locorum spatiis terminata. At humana finita est, & certo loco circumscripta, ut quæ caput habeat finitum, brachia, pedes &c. Ex hac unione hypostatica duarum naturarum in Christo nascitur *coinonia idiomaton* qua propria cujusque naturæ alteri tribuuntur. Vt proprium humanæ Deo. Act. 20, 28. Vos Spiritus sanctus constituit Episcopos ad pascendum Ecclesiam Dei, quam suo illo sanguine acquisivit. 1. Cor. 2. 2, 8. Nam si cognovissent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent. Ioh. 3. 13, Christo in terris Nicodemum alloquenti tribuitur, quòd sit in cœlo, simul autem in terris & in cœlo, esse unius Dei proprium est. Nullus, inquit, ascendit in cœlum,

Vnio hypostatica

Coinonia Idiomaton

lum, nisi qui descendit è cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. Etsi ex hoc articulo perspicuè constare potest Christum verum esse hominem, tamen propter hæreticorum improbitatem, luculentis scripturæ testimoniis docendum erit Dei Filium Patri coæternum, cùm venit plenum tempus, veram humanam naturam assumpsisse in utero virginis. Luc. 1. 13. Concipies in utero, & paries Filium. Heb. 2. 11. Nam qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno sunt omnes. Quam ob causam non erubescit eos vocare fratres, dicens. Annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ tibi hymnos canam. Et infrà, Quoniam igitur pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis imperium habet, hoc est, Diabolum. Qui enim mori potuisset, nisi verum corpus & animam habuisset, quæ à corpore ad tempus separari posset? Infrà eodem capite. Debuit per omnia fratribus similis fieri, ut misericors esset, & fidelis Pontifex, in iis quæ apud Deum agenda forent ad expiandum peccata populi. Heb. 4. 15. Non enim habemus pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter absque peccato. Posteà verò quàm resurrexit, Lu. 24. 39. Videte, inquit, manus meas, & pedes meos: nam ego ipse sum contrectate me, & videte: Spiritus carnem, & ossa non habet, prout me conspicitis habere. Augustinus Dardano de secundo Christi adventu: Et sic venturus est illa angelica voce testante, quem admodum ire visus est in cœlum, id est, in eadem carnis forma, atque substantia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cauendum est enim, ne ita divinitatem astruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus: Nec solùm verum corpus, sed etiam veram hominis animam assumpsisse credimus Dei Filiũ. Mat. 26. 38. Tristis est anima mea usque ad mortem.

Prolepsis

Christus Dei filius veram assumpsit humanam naturam

Assumpsit veram hominis animam.

Luc. 2. 3

Luc.23,vers.43. Hodie mecum eris in Paradiso & vers. 46. Pater in manus tuas depono spiritum meum. Mat. 27.vers.50. Cum rursum clamâsset voce magna emisit Spiritum. Rem verò omnem Athanasii symbolum perspicuè interpretatur. Dominus, inquit, noster Iesus Christus Dei Filius, Deus & homo est: Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus, et homo ex substantia matris in sæculo natus: perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens: æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus: unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.

Idem argumẽtis ostenditur.

Præter manifesta sacræ scripturæ testimonia, ex quibus Christum Iesum servatorem nostrum & verum Deum, & verum esse hominem intelligi potest, sunt etiam argumenta necessaria, quibus utrumque perspicuè demonstratur. Nisi enim Deus esset sanguis, qui pro nobis effundebatur, non fuisset satis præstans sacrificium pro peccato totius mundi: deinde humanitas sola ad iræ diuinæ pondus sustinendum par non fuisset, neque qui solùm esset homo per mortem potuisset abolere eum, qui mortis imperium habet, hoc est, Diabolum. Verum autem esse hominem oportuit, quia quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum introiit: & per peccatũ mors, & ita mors in omnes transiit: & sicut per obedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam justi constituentur multi. Rom.5. Præterea justitiæ diuinæ maximè fuit consentaneum à debitrice natura pœnas exigere peccati: sic est enim Deus misericors, ut justitiæ suæ non renunciat. Quare Mediatorem hominem esse oportuit, qui pœnas nostris peccatis debitas perfer-

ret. Conceptum igitur à Dei Spiritu Christum hominem sanctum, purum ac Deo placentem habemus. De quo Pater, hic est Filius ille meus dilectus, in quo acquiesco. Matt. 3. 17.

Ex Maria &c.

De conceptione diximus, sequitur nativitas. Quanquã verò conceptus fuit miraculosus, nativitas tamen ordinaria, qua fœtus consueto naturæ ordine, tempore, ac modo in lucem est editus Luc. 2. 6 Factum est, cùm essent illic (Bethlehemi) ut explerentur dies ad pariendum. Peperit igitur filium suum primogenitum, & fasciis eum involuit, reclinavitque eum in præsepi, eo quòd non erat iis locus in diversorio. Et quanvis nativitas obscura & in speciem contempta esse videatur, tamen si Angeli splendorem, & Domini gloriam pastoribus circumfulgentem vides, si lætissimum, quam affert, nuncium audis, nimirum natum esse servatorem (qui est Christus Dominus) in urbe Davidis si multitudinem exercituum cœlestium Deum laudantium spectes, quid magnificentius? quid augustius esse potuit? Natus est autem eo loco in quo nasciturum prædixit. Michæas cap. 5. vers. 2. ut etiam primarij Sacerdotes, & Scribæ interpretantur. Matth. cap. 2. vers. 5. 6. Vt Dei promissionibus veritas constaret, & Iesum esse illum Christum promissum agnosceremus. Ex Maria autem virgine Davidis & Abrahami filia, ut à Prophetis prædictum fuit, natum esse credimus. Genes. 22. vers. 18. Benedictæ erunt in semine tuo omnes gentes terræ. Gal. 3. Act. 3. Psal. 89. Disponam in æternum semen ejus, & solium eius, ut dies cœlorum. Psalm. 132 vers. 11. Rom. cap. 1. vers. 3. Filius Dei factus ex semine Davidis secundum carnem. Virginem concepturam & parituram scribit. Esaias. 7. cap. 7. vers. 14. Quod impletum esse narrat Matthæus capite primo. Nec verò in utero Virginis conceptus, & ex Virgine natus est, quasi

Ex Maria virgine

Nativitas

Locus.

quasi ex ea sanctitatem, aut puritatem aliquam hauserit. humana enim natura unde factus Christus homo, in virginis utero à Dei solius Spiritu sanctificata fuit. Nam ipsius Mariæ Spiritus exultat in Deo seruatore suo. Luc. 1.47. Ex quo sequitur vel ipsius confessione, illam seruatore indigu isse: ut falsò Pontificij sine peccato originus concepram fuisse dicant. Ex sancta tum cõceptione, tum nativitate Christi magnas nos utilitates consequimur Primùm enim humanæ in Christo naturæ absolutissima sanctificatio certos reddit nos indies magis ac magis Christi Spiritu renovatos, tandem aliquando perfectissimè sanctificatum iri. Nam qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno sunt omnes. Heb. 2.11. Deinde cum in Christo homine inhabitet omnis plenitudo deitatis corporaliter, & qui per fidem Christo conjungimur membra sumus corporis ejus, ex carne ejus & ex ossibus ejus. Coloss. 2.9 Ephes. 5.30. Quamvis Filiæ propter nativam vitiositatem natura sumus, tamen cum Deo Patre & Filio per Spiritum sanctum communionem habemus, in quo posita est solida consolatio nostra.

Elychus

Doctrinæ fructus

3. Artic. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, sepultus, descendit ad inferos.*

Proximis articulis descripta est Christi persona: deinceps Sacerdotium cum Regno declaratur, quo nos Patri reconciliavit, partim ex iis, quæ pro nobis in examinatione perpessus est, partim ex iis, quæ peragit in gloria. Perpessio autem suis gradibus articulo quarto exponitur. Generale est passum esse, quo non solùm extremum illum solennem actum passionis intelligimus, sed ei etiam omnia, quæ à nativitate perpessus est. Quàm autem indignè sit à suis habitus Evangelij historia aperte docet. Ad sua venit, et sui eum non exceperunt. Ioh. 1.11. Recens natus in exilium metu Herodis deportatur: magna inopia, paupertas, vita omnibus excepto peccato humana

Christi passio.

humanæ naturæ infirmitatibus obnoxia, fami, siti, defatigationi, tristitiæ, doloribus, & animi & corporis: ubi verò annos triginta natus suum munus obire cæpit, à Satana tentatus, à gentilibus suis vexatus contumeliis multis, jactatus injuriis, obtrectationibus, probris, calumniis in eum sæpe factæ sunt insidiæ. Tandem à nefario discipulo proditus, antequam in hostium manus veniret, cum maximo animi angore, metu mortis, & sensu inflammatæ propter peccata nostra divinæ in se iræ conflictatus est, ut Patrem sit precatus, si veller, de passione transferenda. Eòdem pertinet repetita precatio cum valido clamore, & lachrymis. Heb. 5. 1. Et sudor, quasi grumi sanguinis descendentes in terram. Luc. 22. 43. Et in angore constituto conspectus fuit Angelus è cælo corroborans eum. Posteà exauditis precibus liberatus ex metu, ultrò se in hostium manus objicit: vinctus ad Annam, & ab Anna ad Caiapham Pontificem maximum ducitur. Hic de blasphemia in Deum, quod se Dei filium dixisset, & in templum, quod diceret se posse destruere templum Dei, & triduò ipsum reædificare accusatur. Adhibentur falsi testes, quorum vident judices non esse paria testimonia. Confitentem verò se esse Filium Dei de blasphemia reum faciunt, & capitali supplicio afficiendum judicant. Tunc in faciem conspuitur, cæditur colaphis, opprobriis illuditur. Manè verò coram Pilato præside Romano, de seditione arcessitur, ut qui perverteret gentem, concitaret populum, vetaret tributa dare Cæsari, & diceret se Christum Regem esse. Ille in prætorio se regem esse fatetur, sed regnum suum non esse ex hoc mundo. Cùm autem Pilatus Christum, quem vidit innocentem, à supplicio liberare studeret de more unum è vinctis populo dimissurus, optionem dedit, Barabbā ne facinorosum latronem, qui propter seditionem quandam, & cædem factam in urbe conjectus fuit in carcerem, an Iesum dimitti vellent. Liberato Barabba Christus ad crucem deposcitur, qui horri-

bilissimos cruciatus corporis, & animi, pœnasque gravissimas nostris peccatis debitas pertulit in crucem actus: Cui rei fidem facit querimonia illa in cruce pendentis Christi, Deus mi, Deus mi, cur deseruisti me? Quæ non aliunde profecta est, quàm ex sensu horribilis iræ Dei, & judicii propter totius mundi peccatum in ipsum effusi. Alioqui martyres fortiores in tormentis perferendis videri possent, qui Spiritus virtute freti cum Deum propitium, & faventem sentiant, sæpenumerò ignis horrorem intrepido & alacri animo perferunt. At Christus, si pœnæ magnitudinem spectes immensum divinæ iræ pondus sustinuit propter peccata, quæ ob læsam infinitam Dei majestatem infinitam pœnam promerebantur. Causa igitur passionis Dominicæ peccatum humani generis fuit. 1. Pet. cap. 3. vers. 18. Nam & Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis, ut nos ad Deum adduceret, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu. Quod ab Esaia prædictum fuit cap. 53. vers. 5, Ipse dolore afficitur à defectionibus nostris, atteritur ab iniquitatibus nostris, castigatio pacis nostræ imponitur ei, & livore ejus sit curatio nobis, & vers. 10, Iehova delectatus conterere ipsum morbo affecit, quandoquidem exponebat se ipse sacrificium pro reatu. Hebræ. cap. 9. vers. 26. Nunc semel in consummatione sæculorum ad peccatum per immolationem sui ipsius abolendum patefactus est: Christum verò quatenus est homo, passum Deitate quiescente credimus. Quæ res ab Irenæo Lib. 3. contra hæreses perspicuè declaratum his verbis: Sicut homo erat, ut tentaretur, sic & verbum erat, ut glorificaretur, requiescente quidem verbo ut possit tentari, crucifigi, & mori: & tamen humanitati unito, ut possit vincere. Fines autem passionis Dominicæ varij sunt, primus demonstratio divinæ bonitatis, & justitiæ: secundus est salus hominis. Ephes. cap. 1. vers. 11. & vers. 12. In sortem adsciti sumus, cum essemus

Causa passionis Christi.

Quatenus Homo passus.

Fines passionis.

mus prædestinati secundum propositum ejus, qui omnia efficit ex consilio voluntatis suæ, ut nos simus laudi gloriæ ipsius. Rom. cap. 3. vers. 25 26. Quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius ad demonstrandam justitiam suam. Quoniam itaque eripuit nos Deus è potestate tenebrarum, ac transtulit in Regnum filij sui dilecti, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, id est, remissionem peccatorum, officii nostri partes & meditari, & obire decet, ut nimirum peccatis mortui, justitiæ vivamus. 1. Pet. cap. 2. vers. 24. Qui peccatum nostrum sursum tulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus. Deinde statuendum nobis per multas afflictiones ingrediendum esse regnum cœlorum prout ipse Christus exemplar vobis reliquit. 1. Pet. cap. 2. v. 21. Christus passus est pro uobis, relinquens vobis exemplar, ut insequeremini vestigia ipsius.

Sub Pontio Pilato.

Pontius Pilatus præses Iudææ successit Valerio Grato præsidi, quadriennio ferè ante passionem Christi, ut ex Iosepho. Lib. 18, cap. 3. Antiquitatum Iudaicarum intelligi potest. Sub Pontio autem Pilato non est idem, quod judice Pontio Pilato, quanvis id etiam verum est: sed cum Pontius Pilatus Iudææ præesset, ut Evangel. Luc. cap. 3. vers. 1. Pontio Pilato procurante Iudæam. Temporis circumstantia in symbolo diserte additur: primùm, ut certo noverimus impleto Iacobi vaticinio Christum jam tum venisse, cùm summum Iudaicæ politiæ imperium penes Romanum imperatorem esset. Genes. 49. Non desistet tribus à Iehuda, neque legislator è medio pedum ejus, usq; dum venturus erit filius ejus, & erit ei obedientia populorum: Deinde maximo fidei nostræ adjumento voluit Deus palam coram politico magistratu Filj sui causam disceptari, ac primùm quidem innocentem, à Iudice declarari. Evangeli. Matthæi cap. 27. vers. 24. *Tempus*

Innocens pronunciatur à iudice terreno.

Videns autem Pilatus se nihil proficere, sed majorem tumultum fieri, accepta aqua abluit manus coram turba dicens, innoxius ego sum à sanguine hujus justi vos videritis: Nisi enim purus ab omni delicto fuisset Dei Filius, non esset ab ejus morte peccati expiatio petenda. Poterat idem Pilatus innocentem tradit crucifigendum. Mat. 27. 26. Tunc dimisit iis Barabbam: Iesum autem cùm flagellassent, tradidit ut crucifigeretur. Sic Vadis nomine subiit, quam nos promeriti sumus, pœnam, solenni item damnatus, ut illius gratia nos absolveremur. Fecit enim Deus, ut qui non novit peccatum, pro nobis peccatum, esset, ut nos efficeremur justitia Dei in eo, 2. Cor. 5. 21. Quanvis verò nihil tale cogitaret Pilatus. Deus tamen apud illius tribunal filium damnari voluit, ut planè constaret Christum non ut sontem, sed ut eum, qui se ultro vadem pro injustis sistere voluit, damnatum pro nobis, maledictionem & omnem iram patris adversus nostra peccata in se recepisse, ut nos plenè liberaret, Ro. 8. 3. Nam quæ legis erat impotentia, cùm viribus esset destituta per carnem, Deus suo ipsius filio misso in forma consimili carni peccato obnoxiæ, & pro peccato (sacrificio intellige pro peccato) cõdemnavit peccatum in carne, id est abolevit nostrum peccatum illius carni impositum: quatenus ille carnem suam obtulit Deo in victimam pro peccato.

Ab eodem crucifigendus tradi

Crucifixus.

Species passionis & supplicij est. Ad crucem autem damnatus à militibus illuditur Christus: posteà crucem suam, quæ mox tamen Simoni Cyrenæo imponitur, bajulans cum duobus latronibus ad supplicium ducitur: precantem verò, ut Pater hoc ijs vellet remittere, vivum cruci suffigunt, clavis per manus ac pedes trajectis. Erat hoc genus supplicij non humana solùm opinione, sed divina lege detestabile, & execrandum. Deut. 21. 22. Suspensus execrationi est Deo. Gal. 3. 13. Execrabilis est quis.

Crux execrabilis.

quisquis pendet in ligno. Constitutum enim fuit hoc genus supplicij in gravissima scelera, & execrandum maximè, propter culpæ & sceleris atrocitatem, quam justissimè Deus summè oderit: cumque Christus peccatorum totius mundi se reum sisteret, & ultrò execrationem iis debitam subiret, illius maximè respectu crux detestabile, & execrandum supplicij genus est. At quàm in Christi supplicio detestabilis, atrox, & acerba crux fuit tam grata, salutaris, & læta nobis est, & videri debet, si quam Christus cruce sua nobis peperit salutem spectemus. Nam ille nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solùm, sed pro totius mundi peccatis. 1. Ioh. 2. 2. Atque etiam se sublatum iri in crucem prædixit, ut nos ad se ipsum traheret. Evangel. Iohannis cap. 12. vers. 32. Et ego si sublatus fuero è terra omnes traham ad me ipsum. In eo igitur sita est solida consolatio, quod castigatio nostræ pacis imposita sit ei, & illius vibicibus sanati simus, qui cognitione sui justificabit multos, quorum iniquitates ipse bajulavit. Esai. 51. 5. & 10. 1. Pet. 2. 24. At si in Christi cruce meditanda proficere cupimus non solùm statuendum est fore, ut in Dei judicium non amplius veniant peccata nostra, quibus expiandis tantum pœnarum pertulit Dei Filius, sed inde decet incipere, ut pro pœnæ, quam sustinuit, gravitate, abhorreamus peccata nostra, ita fiet ut non modò nos pigeat nostri, ac pudeat, sed ut serio dolore vulnerati, quo decet, studio quæramus medicinam. Est & alius fructus quem capimus ex Christo in crucem suffixo: virtute enim mortis eius qua Spiritum sanctum credentibus in ipsum impetravit, vetus noster homo, & naturæ pravitas una cum eo crucifigitur, interimitur, ac aboletur, ne cupiditates, & desideria carnis posthac in nobis regnent. Rom. 6. 5. 6. Nam si cum eo plantati coaluimus conformatione mortis ejus, nimirũ etiam resurrectionis conformatione coalescemus: illud

Fructus

Nostrum officium

Alter fructus.

scientes veterem illum nostrum hominem cum eo crucifixum esse, ut aboleatur corpus peccati, ne posthac nos serviamus peccato.

Mortuus & sepultus descendit ad inferos.

Verè mortuus est Christus.

Verè mortuum fuisse Christum, & animæ illius factam esse separationem à corpore ad testamentum ratum faciendum, mortisque metum solvendum testatur scriptura sacra. Heb. 9. 15. 16. 17. Et 2. vers. 14. 15. Quò pertinet depositio Spiritus in manus Patris. Luc. 23. 46. Pater in manus tuas depono Spiritum meum, & cùm hæc dixisset, expiravit. Matt. 27. 50. Iesus autem cùm rursum clamâsset voce magna, emisit Spiritum. Ioh. 19. vers. 30. Cum autem accepisset Iesus acetum, dixit, consummatum est, & inclinato capite tradidit Spiritum. Transitus autem in Paradisum summæ beatitatis locum, qui & sinus Abrahæ dicitur, localem animæ divulsionem luculentè demonstrat. Luc. 23. 43. Hodie mecum eris in Paradiso. Cæterùm rectè intelligendum est Christi animam triduo à corpore ita separatum fuisse, ut Deitas filii neque corpus neque animam deseruerit, sed una manserit persona nimirum filij quatenus Deus, in qua humana natura sit sustentata: quòd verò quæritur in cruce cum diris illis cruciatibus conflictatus, Deus mi, Deus mi, quare deseruisti me? De magnitudine angoris, & divini auxilij substractione debet accipi, non quòd vel momento divina in Christo natura ab humana fuerit disjuncta, quæ ambæ semper voluntissimè manserunt in unam hypostasin conjunctæ. Mori autem Christum oportuit primùm ut divinæ justitiæ satisfieret: Deinde verbo Dei sua constaret veritas: requirebat enim Dei justitia, ut summæ illius majestatis læsio summo supplicio, & internecione naturæ peccantis expiaretur. Nam stipendium peccati mors. Rom. cap. 6. vers. 23. Christus verò nostras partes susce-

Admonitio

Prolepsis.

Fines mortis

pit

pit, & se vltrò vadem pro nobis reum interposuit. Idcirco eum non solùm pati, sed etiam mori, ut pro nostris peccatis satisfaceret, necesse fuit. Præterea fœdus gratuitum testamenti rationem habet, quod aliter ratum ac firmum esse non potest, quàm morte testatoris. Heb. cap. 9. vers. 15. 16. 17. ut autem Dei veritati satisfieret, necesse fuit aut genus humanum in æternum perire, aut nostrum sponsorem mori secundum illam Dei comminationē Genes. 2. vers. 17. De fructu verò arboris scientiæ boni, & mali, de isto ne comedas: nam quo die comederis de eo, utique morituus es. Deinde ut veritas typo responderet cum vetus testamentum sanguine pecudum sanctum fuit, Christi ipsius sanguine per pecudes illas præfigurati novum fœdus sanciri oportuit. Heb. cap. 9. vers. 16. 17. Consequimur verò Christi morte remissionem peccatorum, justitiam æternam, & sanctificationem. 1. Iohan. cap. 1. vers. 7. Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato. Colos. cap. 1, vers. 13. 14. Pater eripuit nos è potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum filij sui dilecti, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum. Rom. cap. 5. vers. 9. Iustificati igitur nunc ejus sanguine servabimur multò magis per eum ab ira illa. Nam cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij ejus. Nostra denique sanctificatio promanat ex eadem morte, qua nobis Spiritum sanctum impetravit, cujus virtute peccato mori, & justitiæ vivere possimus. Si mortui sumus cum Christo, credimus fore, ut etiam vivamus cum eo. Rom. 6. vers. 8. Gal. 2. vers. 20. Rom 6 ver. 3. Heb. 9. 14. Sanguis Christi, qui per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, emundabit conscientiam vestram à mortuis operibus ad serviendum Deo vivo. Quanvis verò nostri regeneratio Christi resurrectioni efficacia & appellatione a Petro tribuatur. 1. Epi. cap. 1. vers. 3. Tamen Christi mortis dignitati, ac merito eadem verè tribuitur. Similiter etiam efficacia &

Fructus mortis

applicatione Christo ex mortuis suscitato nostri justificationem tribuit Paulus Rom. 4. 25. Et licet pro omnibus mortuus dicatur. 1. Ioh. 2. 2. Heb. 2. 9. Paulisper fuit inferior angelis factus propter mortis perpessionem, ut beneficio Dei pro omnibus mortem gustaret. Et 1. Timoth. 2. 6. Qui sese ipse dedit redemptionis pretium pro omnibus, tamen universalis propositio pro indefinita sumi debet, ut non singuli generum, sed quod ipsi viderunt Scholastici doctores, genera singulorum intelligantur. Vult enim Deus omnes, id est, quosvis salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire 1. Timoth. 2. 4. Nam sic interpretari convenit notam universi generis. Nihil autem absurdius dici potest, quàm Deum velle omnes etiam in incredulitate ad extremum permanentes servari. Nam si voluntas patris est, ut qui credit in Filium non pereat, sed habeat vitam æternam, consequitur hanc esse ejusdem voluntatem, ut qui non credit in Filium, pereat. Ioh. 6. 48. Ioh. 3. 36. Et ut paucis rem complectar, universi generis nota ad electos Dei restringi debet. Animadvertendum quidem vocationem latius, quàm electionem patere, atque adeò hominum incredulitate fieri, quo minus Evangelio auscultantes salutis oblatæ participes fiant. Funerationem Christi describit Ioh. 19. 38. 39. 40. Posthæc autem rogavit Pilatum Iosephus Arimathensis, ut qui esset discipulus Iesu, sed occultus propter metum Iudæorum, ut tolleret corpus Iesu, quod permisit Pilatus. Venit ergo & sustulit corpus Iesu. 39. venit autem & Nicodemus (is qui venerat ad Iesum nocte primùm) ferens misturæ myrrhæ & aloes libras quasi centum v. 40. Acceperunt ergo corpus Iesu, & obvinxerunt illud linteis cùm aromatibus, sicut mos est Iudeis *entaphiazein*, funerare, ut Græcæ linguæ peritissimi interpretantur. Vulgo *taphenta* vertunt sepultum: at rectiùs funeratum dices. Nam verbum *thaptein*, unde illud *taphees*, duo significat, prout eo sunt usi Græci Bibliorum interpretes, Primò funerare, ut Gen.

Prolapsis.

Sepultus

50. versu ultimo *Kai ethapsan ayto kai ethecan en to soro* & condiverunt eum aromatibus, & posuerunt in illa arca. Vnde eodem c. v. 3. *Taphe* pro conditura. Hanc significationem interpretatur Ioh. 10. 4. per verbum *entaphiazem*, quod est Iudæorum more cadaver aromatibus condire, & linteis involvere. Quo modo Græci illi interpretes usi sunt Genes. 50. 2. *Kai prosétaxen Ioseph, tois paisin aytou tois entaphiastais entaphiasai ton patera aytou, kai enetaphiasan hoi entaphiastai ton Israel.* Secundò *Thaptein* pro cadaver in monumento reponere usurparut illius ca. ve. 6. *en to mnemeio ho oryxa emaytoen gè Chanaan, ekei me thapseis. Nyn oun anabas thapso ton pateramou* Hæc igitur Christi furæratio corporis illius aromatũ conditione in vnctionem, & linteis involutionem propriè significat, ut apparatum illum omnem ad sepulturam complectatur. Sepelire autem Latinis est quoquo modo cadauer condere, siue crematum urnæ, quod Romani postquàm longinquis bellis obrutos eruì cognoverunt, tandem instituêre, siue integrum monumento. Scribit Plinius lib. 7. Naturalis historiæ c. 54. sepultum intelligi quoquo modo conditum, humatum verò humo contectum. Quòd si vocem *taphuntos* sepultum verterimus synecdoche linguæ Hebrææ familiari, qua ex consequente antecedens significatur, Iohannem optimum interpretem sequuti explicare debemus, ut mistura myrrhæ, & aloes inunctum, & linteis involutum esse intelligamus. Christus igitur tum demum sepultus cum descendit ad inferos & in monumento illo novo conditus fuit, de quo mox dicemus, ubi verbi ambiguitatem explicaverimus. Vox enim *hades*, quam alii inferos, alii infernaventêre, primùm significat sepulchrum. Genes. 42, 38. Sic demisseritis, inquit, Iacobus, canitiem meam mœrore in sepulchrum. Psal. 16, 10. Non es derelicturus animam meam in sepulchro. Psal. 59. 15. Tanquam pecudes in sepulchro dispositos mors depascet. Vbi *Scheol* à Græcis interpretibus reddi-

tur

tur voce *hades*. Secundò locum damnatorum, in quo æternis pœnis addicuntur. Luc. 16. Epulo ille *en to hade* apud inferos sublatis oculis suis, cùm esset in tormentis, vidit Abrahamum procul, & Lazarum in sinu ejus. Apoc. cap. 1. vers. 18. Tertiò dolores & pœnas damnatorum intolerabiles. Psal. 116. vers. 3. Dolores mortis circumdederunt me, angores sepulchri obuenerunt mihi 1. Sam. 2. vers. 6. Iehova morte afficit, & in vitam restituit: demittit in sepulchrum, & educit. Quæ triplex verbi significatio tres hujus loci peperit interpretationes. Alij Christum descendisse ad inferos dicunt cum intolerabiles cruciatus, & horribiles animi angores propter peccata nostra perpeterentur. Vnde validus clamor, & lachrymæ, unde sudor ille quasi grumi sanguinis descendentes in terram, unde querimonia illa, Deus mi, Deus mi, quare desereuisti me. Qui verò quædam scripturæ loca perversè interpretati, Christi animam non solùm ad limbum, quem fingunt, Patrum, sed etiam ad omnia infernoloca penetrâsse dictitant, scripturæ sacræ manifestè contradicunt. Nam ubi futura esset ipsius anima è corpore egressa, prædixit latroni secum in cruce pendenti. Hodie inquit, mecum eris in Paradiso, Luc. 23. 43. Ex quo loco in sedem damnatorum nulla est cõmigratio, Abrahamo seu Christo affirmante, Luc. 16. 26. Ad hæc omnia, inquit Abrahamus, inter nos & vos hiatus ingens constitutus est, ut ij, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neq; isthinc huc transire. Corpus verò Christi in sepulchro jacuisse triduo, & Ionæ typo respondisse testis est locuples historia sacra. Superest tertia interpretatio, qua simplicissimè Christũ descendisse ad inferos, id est, in monumento illo novo positum fuisse dicunt. Ioh. 19. 41. In eo autem loco ubi fuerat crucifixus erat hortus, & in horto monimentum novum in quo nondum quisquam positus fuerat: Ibi igitur propter Parasceuen Iudæorum, quòd monimentum illud prope esset, posuerunt Iesum. Mat. 27. 59. 60. Et Iosephus cum accepisset cor-

pus

pus, involuit illud syndone pura, posultque in monimento suo novo, quod exciderat in petra, & advoluto saxo magno ad ostium monimenti, abiit. Hanc germanam esse interpretationem docet Petrus. Act. 2. 29. 30. 31. 32. & Paulus Act 13. 34. 35. ubi de Christi resurrectione disserunt, & Davidis testimonio. Psal. 16. 10. fieri non potuisse demonstrant, ut Christi corpus in sepulchro sentiret corruptionē. Nam cùm *hadon* apud inferos, seu in sepulchro secundum corpus, quod ibidem nomine animæ et carnis significatur fuisset positus, hunc, inquit Petrus suscitavit Deus, cujus rei nos omnes sumus testes: Etsi verba articuli (descendit ad inferos) totidem syllabis non reperiantur in sacris literis, tamen res ipsa ab Evangelistis exponitur. Ioh. 19. Mat. 27, & verba ipsa nō dissimili ratione sacris literis usitata reperies. Esai. 5. 4. Gen. 42. 38. Nulla igitur hic battologia, nulla obscurior exegesis.

Tertia die resurrexit ex mortuis.

Quæ Christus in humiliatione nostri redimendi causa sit perpessus superiori articulo sunt exposita: quæ autem in gloria peregerit, ac etiamnum peragat, ut nos beneficiorum ipsius, & vitæ æternæ participes faciat articulis tribus proximis explicantur. Primùm tertia die revocata in corpus anima potentissimè per Spiritum sanctificationis ex mortuis, & monimento illo novo, in quo positus fuit, resurgit, & dies quadraginta conspectus à discipulis certissimis signis fecit suæ resurrectionis fidem, & exposuit, quæ ad Dei regnum pertinerent: fidem Christianorum esse Christi resurrectionem scribit Augustinus. Quivis enim facile mortuum fuisse Christum crediderit: at soli fide donati ex mortuis resurrexisse credunt, qui luculenta habent scripturæ testimonia, quæ id doceant. Resurrectionem Christi David, Psal. 16, vers. 10. prædixit: Non es derelicturus animam meam in sepulchro, neque expositurus sanctum tuum, ut

Belurimus

videat corruptionem. Interpretes sunt Apostoli. Act. 2. & 13. In verbis vsitata Hæbræis synecdoche, anima pro Christo homine. Deinde synecdoche è medio petita, qua ex toto pars significatur, pro Christi corpore positio in sepulchro sumitur, quo modo ait non expositurum sanctum suum, ut videat corruptionem: futurum enim dicit, ut Christi corpus nullam in sepulchro sentiat omnino corruptionem. Suam resurrectionem prædixit Christus. Luc. 18. 33. Et postquàm eum flagellaverint, trucidabunt: sed die tertia resurget. Matt. 12. 39. ex Ionæ signo suam demonstrat resurrectionem: Signum non dabitur ei, nisi signum illud Ionæ Prophetæ, Sicut enim fuit Ionas in ventre Ceti tres dies, & tres noctes, ita erit filius hominis in corde terræ tres dies, & tres noctes. Luc. 24. 5. dicunt Angeli mulieribus, quæ ad sepulchrum ferebant aromata, & unguenta, quibus Christi corpus inungerent, Quid inter mortuos quæritis eum, qui vivit? & Marci 16. 6. Ait angelus mulieribus, ne expaveſcite Iesum quæritis Nazarenum illum, qui fuit crucifixus: suscitatus est, non est hic, ecce locum ubi posuerant eum sed abite, dicite discipulis ejus, & Petro, præire vobis in Galilæam: illic eum videbitis, prout dixit vobis. Vide Io. 20. Lu. 24. Act. 1. 3. Discipulis sese postquàm passus fuit, exhibuit vivum cum multis certissimis signis, per dies quadraginta conspectus est ab iis, & dicens quæ ad regnum Dei spectant. Verum autem Christi corpus omni deposita infirmitate suscitatum fuit glorioſum in eadem carnis forma atque substantia, quam priùs habuit, cui (ut loquitur Augustinus ad Dardanum) profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Tertullianus libro de resurrectione, eam dicit competere ei, quæ cecidit, rei. Omnem verò dubitationem tollent sacræ scripturæ, Lu. 24. 39. Videte manus meas, & pedes meos inquit Christus: nam ego ipse sum, contrectate, & videte: nam Spiritus carnem & ossa non habet prout me conspicitis habere. Ioh. 20. 27. dicit Thomæ inferdigi-

Eadem caro Christi resurget

tum

tum tuum huc, & vide manus meas, & profer manum tuam, & immitte in latus meum: & ne esto incredulus, sed credens. Quibus perspicuè docet verum corpus suum fuisse suscitatum, quod conspici, contrectari posset: quod distincta membra, manus, pedes, ossa carne circumvestita haberet, ne in Spiritum transmutatum falsò putarent. Sic enim colligit, Spiritus carnem, & ossa non habet: At ego habeo carnem, & ossa. Assumptionem sensuum ipsorũ testimonio probat. Hæc nobis mordicus tenenda, ut Hæreticorum tam veterum, quàm recentiorũ (qui nescio, quod Christo ex mortuis suscitato, corpus effingunt imaginarium, quod suo circumscriptum loco videri, contrectari non possit, sed aut ubique sit, aut multis simul locis) mendacia refutemus. Suscitatum ex mortuis verum fuisse Christi corpus accepimus. Qua autem vi resurrexit, scribit Paulus Rom. 1. 1. & 3, Separatus ad Evangelium Dei de Filio suo, facto ex semine Davidis secundum carnem, declarato Filio Dei potenter, secundum Spiritum sanctificationis per resurrectionem à mortuis, Christus, qua Deus est, & Spiritus sanctificationis corpus suum in quod fecit, ut rediret anima, potentissimè ex mortuis suscitavit. Nec ullum temporis punctum fingi debet, quo assumptam humanam naturam deseruerit: sic enim unitissimè conjunxit sibi, ut in persona sua, qua Filius Dei, & Deus est, humanam naturam perpetuò sustentârit, ac in æternum sit sustentaturus: hinc factum ut in sepulchro nullam senserit corruptionem Christi corpus, & ubi plena fides verè fuisse mortuum facta est, ex mortuis suscitaretur. Eph. 1. 20. Dicitur Pater suscitavisse Filium. Suscitavit eum ex mortuis, & collocavit ad dexteram suam in cœlis. Nulla hîc repugnantia: Communia enim tribus personis, ut sæpe monuimus, sunt opera, quæ ad extra vocantur. Resurrectionis Christi fructus sunt varij. Primus est nostri justificatio. Etsi enim Christus sua morte satisfecit pro peccatis nostris, & æternam nobis justitiam peperit, tamen

Causa resurrectionis.

Prolepsis

Fructus

men contritum serpentis illius antiqui caput, & divinę ju
stitiæ plenissimè satisfactum demonstravit tum demum,
cum superata morte triumphator resurgeret: deinde ex
mortuis suscitatus mortis suæ meritū nobis applicat, ut
remissionē peccatorū adepti, corā Deo justi, inculpatiq;
constituamur, Ro. 4. 25. Qui traditus (in mortem) propter
lapsus nostros, & suscitatus ad nostri justificationē. Act. 1
37. 38. At is, quem Deus excitavit, non sensit corrup
tionem. Notum igitur sit vobis fratres annunciari vobis
remissionē peccatorū per istum. Per Christū ex mortuis
suscitatū datur nobis peccatorū venia et credentibus justi
tia imputatur. Alter fructus est nova vita. Nam Christus
sua resurrectione nobis Spiritū S. impetravit, quo à mortis
operibus excitati nova vita ambulemus. Rom. 6. 3. Sepulti
igitur sumus una cum eo per baptismū in mortē, ut sicut
suscitatus est Christus ex mortuis in gloriā Patris, ita &
nos nova vita ambulemus. vers. 5. nam si cum eo coaluimus
conformatione mortis ejus, nimirū etiam resurrecti
onis coalescemus. Sicut enim sua morte Christus & remis
sionem peccatorū, cujus rei pignus est Baptismus, & Spi
ritum S. nobis impetravit, cujus vi peccatū aboleatur, ut
regnū non obtineat: sic resurrectione ex mortuis nō solū
remissionē peccatorū, et justitiam nobis applicat, sed etiā
Spiritū. S. meritus est, quo justitię vivere, & nova vita am
bulare velimus, & pro mensura doni Christi possimus.
Hujus rei demonstratio ex causis v. 5. exponitur parium
collatione. Quemadmodū enim Spiritu. S. efficaciter agē
te cum Christo mortuo, cui per fidem sumus insiti, com
munionē habemus, ut Spiritū Christi habentis peccato
moriamur, sic cum Christo ex mortuis suscitato cōmuni
onem habemus, ut illius Spiritu renovati nova simus cre
atura. 2. Cor. 5. 17. Si quis igitur est in Christo nova crea
tura est, vetera prēterierunt, ecce nova facta sunt omnia.
Renovationis causam perspicuè ostendit Apost. Ro. 8. 11
Si Spiritus ejus, qui suscitavit Iesum a mortuis habitat
in vobis, is qui excitavit Christū ex mortuis, vivificabit

etiam

etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis. Tertiò Christi resurrectio pignus est nostræ resurrectionis. 1 Cor. 15.13, Si resurrectio mortuorum non est, Christus quoque non est suscitatus. v. 20. Nunc autē Christus suscitatus est ex mortuis, & primitię eorum, qui obdormierunt factus est. Ex quo sequitur necessariò mortuos suscitatum iri. Sua enim resurrectione Christus qui caput est Ecclesiæ suæ tanquam primitiæ resurgentium sua membra sanctificavit, ut secum in æternam beatitatem recolligeret. 1. Thes. 4, 14. Nam si credimus Iesum mortuum esse, & resurrexisse, ita etiam & Deus eos, qui obdormierint in Iesu, adducet cum eo. Temporis circumstantia additur, ut verè mortuum fuisse sciremus, cùm non ante diem tertium resurrexit, & prædictioni sua veritas constaret.

Ascendit in cœlum.

6 Artic.

Altera Christi actio in gloria. Cùm dies quadraginta certissimis signis suæ resurrectionis fidem fecisset, & quæ spectarent ad Dei regnum docuisset, discipulis intuentibus sursum receptus est in cœlū. Quæ cœli nomine in sacris literis significentur in primum caput Geneseos exposuimus. Hoc loco significat sedem illam beatā, in qua angeli, & sanctorū, qui vita functi sunt, animæ, Dei conspectu fruuntur, in quam Christus homo evectus cœlis, qui sunt nobis aspectabiles sublimior factus est. De quo Mat. 18.10. Vide ne contemnatis aliquem ex parvis istis: dico enim vobis angelos eorum in cœlis per omne tempus intueri faciem Patris mei, qui est in cœlis. Stephanus Act. 7, vers. 59. Ait, ecce conspicio cœlos apertos, & filium illum hominis adstantem ad dexteram Dei. In hunc locum ascendisse scribit Lucas Act. cap. 1. 9.10.11. Aspicientibus ipsis (nimirùm Apostolis) elevatus est, & nubes susceptum eum abstulit ab oculis eorum & cùm essent intentis in cœlum oculis eo proficiscente ecce viri duo astiterunt illis albo vestitu, qui & dixerunt Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum? hic Iesus,

Ascendit in cœlum.

qui,

qui sursum receptus est à vobis in cœlum, ita veniet, quemadmodum conspexistis illum proficiscentem in cœlum. Mar. 16, 19. Dominus igitur postquam locutus esset iis, sursum receptus est in cœlum & sedit ad dexteram Dei. Luc. 24. 50. 51. Eduxit autem eos foras ad Bethaniam vsque, & sublatis manibus suis benedixit iis: & factum est, dum ipse benediceret iis, disiunctus ab iis sursum ferretur in cœlum. Maximè verò perspicuè Paulus Ephes. 4. 10. Qui descenderat ipse est, qui etiam ascendit longè supra omnes cœlos, Aspectabiles intelligit, in quibus stellę, sol, luna, reliquique sunt planetæ. At quo res meliùs intelligatur, quid propriè ascenderit, quo modo, & qui sint ascensionis fructus videndum. In cœlum ascendit Christus homo, quem Apostoli viderunt, contrectârunt, de cujus corporis ex mortuis suscitati veritate certissimis signis persuasi erant: hunc vident in cœlum recipi, ut piè, rectèque Ruffinus in symbolum scribit: Dominus ascendit in cœlum, non ubi verbum Deus priùs non fuerat, quippe qui erat semper in cœlis, & manebat in Patre, sed ubi verbum caro factum antè non fuerat. Hæc verissima esse demonstrant scripturæ testimonia, quæ suprà à nobis expositæ: & ut verè, sic localiter & visibiliter cœlum ingressus est, ac in eo permansurus, usque ad tempora restitutionis omnium. Io. 12, 8. Pauperes, inquit, semper habebitis vobiscum, me verò non semper habebitis. c. 16. 7. Nisi enim abiero, consolator ille nō veniet ad vos v. 28. Relinquo mundum, & proficiscor ad Patrem. Ex quibus satis perspicuè ostenditur ex terris verè in cœlum migrâsse Christum hominem, quem eo proficiscentem conspexerunt Apostoli. Act. 1. 11. Hic Iesus qui sursum receptus est à vobis in cœlum, ita veniet, quemadmodum conspexistis eum proficiscentem in cœlum. Constitutū autem tempus est, etsi nos lateat, quando è cœlo sit rediturus, in quod jubet ad sui recordationem sacram illam cœnam celebrare. 1. Cor. 11. 26. Mortem Domini annunciatis vsq; dum

Ascendit Christus homo.

Quomodo ascenderit.

venerit. Pet. Act. 3. 21. quem oportet quidem cœli capiant usque ad tempora restitutionis omnium, de quibus locutus est Deus à sæculo per os omnium sanctorum suorum Prophetarum. Quo autem modo sit Christi corpus in cœlo, non est sollicitè pervestigandum, quod monet Augustinus de fide & symbolo cap. 6. Vbi & quomodo sit in cœlo corpus dominicum curiosissimum, & supervacaneum est quærere: tantummodò in cœlo esse credendum est: non enim est fragilitatis nostræ cœlorum secreta discutere, sed est nostræ fidei de dominici corporis dignitate sublimia, & honesta sapere. Qui in cœlo tantùm nunc esse dominicum corpus negant, & in terris quodammodò esse contendunt, promissionem illam Christi proferunt, Matth. 28. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Verùm hîc Augustinum interpretem, & respondentem audiamus, tractatu in Ioh. 50. Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habetis. Accipiant & hoc boni, sed non sint solliciti, loquebatur enim de præsentia corporis sui: nam secundùm majestatem suam, secundùm providentiam, secundum ineffabilem, & invisibilem gratiam, impletur, quod ab eo dictum est, ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi Et in Epistola ad Dardanum, una, inquit, persona Deus & homo est, & utrumque est unus Christus Iesus ubique, per id quod Deus est, in cœlo autem per id, quod homo. Cavendum est enim, ne ita divinitatem astruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Aliquid etiam dicere sibi videntur hoc sophismate, duæ naturæ quarum una non est, ubicunque est altera, non sunt personaliter unitæ. At duæ naturæ in persona Christi sunt personaliter unitæ. Ergo necesse est humanam Christi naturam ubique esse, ut divinam. Respondeo propositionem falsam esse in duabus naturis personaliter unitis, quarum altera finita est, altera infinita. Nam ut scribit Augustin. ad Dardanū

Prolepsis.

Prolepsis.

non est consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus. In summa igitur Deum invisibilem, filium visibilem recepisse ad dexteram suam manifestum est, & humilitatem carnis nostræ throno judiciario honorate paternæ complacuisse altitudini. Sermone de ascensione Christi inter opera Cypriani. Ascensionis autē Christi fructus, qui & fines sunt varii. Primùm ascendit in cœlū propter gloriam tum suam, tum Patris, quamobrem vehementer precatus est Patrem. Ioh. 17. 1. Pater glorifica filium tuum, ut & filius glorificet te. Ad Phil. 2. 8. 9. Ipse se submisit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter etiam Deus ipsum in summā extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen, quod est supra omne nomen, ut ad nomen Iesu omne genu se flectat cœlestium, & terrestrium, ac subterraneorum, omnisq; lingua profiteatur dominum esse Iesū Christū ad gloriā Dei Patris. Deinde nostra causa ascendit. Primùm ut æterno obedientiæ suæ, & sacrificij in cruce semel oblati vigore ac merito, nobis placaret Patrē. Heb. 9. 24. Non enim in manufactū sacrariū ingressus est Christus, quod sit exemplar veri (sacrarii) respondens, sed in ipsum cœlum, ut compareat nunc facie Dei pro nobis. Idcò Ioh. Epi. 1. c. 2. 1. ait nos habere Advocatum apud Patrem Iesum Christum justum: ipsum esse propitiationem pro peccatis nostris. Quòd autem credentibus in ipsum, antequam in cœlū ascenderit, propitium reddidit Patrē, ad fecit merito sacrificij tum offerendi, quod nunc præstat in cruce peracti vigore. Secundò ut omnia Ecclesiæ suæ membra Spiritus S. donis impleret, in cœlum ascendit. Io. 16. 7. Nisi abiero, Consolator ille non veniet ad vos. Eph. 4. 10. Qui descenderat, ipse est, qui etiam ascendit longè supra omnes cœlos, ut impleret omnia. Act. 2. 17. ex Ioele. Erit ultimis temporibus (dicit Deus) effundam ex Spiritu meo in quavis carnem, & ver. 32. Hunc Iesum suscitavit Deus, cujus rei omnes nos sumus testes. Itaque dextera Dei sursum sublatus & promissū Spiri-

Fructus,

Prolepsis.

situs sancti adeptus à Patre effundit hoc, quod vos nunc spectatis, & auditis. Ioh. 7.39. Scriptum legimus nondum fuisse Spiritum sanctum, quia Iesus nondum fuerat glorificatus, quasi Dei Spiritu credentes non prius donati fuissent, quam ubi in cœlum ascendit Christus. At illa comparatè sunt accipienda. Nam vera fide donatos Spiritum Christi habere necesse est: sed tum demum ex promissione vberrimè Spiritus sancti dona sunt in Ecclesiâ Dei effusa, ubi in sublime ascendit Christus & captivam duxit captivitatem, dedit{que} dona hominibus. Eph. 4.8. Tertiò certi reddimur, quia carnem nostram habemus in cœlo, fore, ut ubi Christus ipse est caput nostrum, simus & nos membra ipsius. Ioh 14.2. In domo Patris mei habitationes multæ sunt: proficiscor paraturus vobis locum, & cum profectus fuero et parauero vobis locum, rursum veniam, & assumam vos ad meipsum, ut ubi ero ego, & vos sitis. Idem precibus contendit à Patre. Ioh. 17.24. Pater quos dedisti mihi, velim, ut ubi sum ego, & illi sint mecum. Apoc. 3.21. Augustinus Libro secundo de symbolo ad Catechumenos. Quia verò diximus, quousque ille altissimus descenderit propter nos, nunc dicamus, quomodo id, quod susceperit ex nobis in cœlum levaverit, ad dexteram Patris collocaverit, ac fidei nostræ certum pignus dederit, ut secura sint membra de tanto capite, fideliterque speret, ad ipsum se posse pervenire, quem jam credunt ad dexteram Patris sedere. In eandem sententiam Tertullianus libro de resurrectione carnis. Securæ estote caro & sanguis: usurpatis & cœlum, & regnum Dei in Christo, aut si negent vos in Christo, & in cœlo Christum, qui vobis cœlum negaverunt. Omnem dubitationem tollit Apostolus Ephes. cap. 2 ver. 6. Vnàque excitavit nos, unàque collocavit nos in cœlis, in Christo Iesu. Ea est enim cum Christo Iesu à mortuis suscitato, et in cœlis collocato per fidē nobis cōiuncto, ut quam vere à mortuis resurrexit, & in cœlis jam regnum obtineat,

Nostrum officium.

certò illius virtute resurrectum simus, & in illo capite gloriam cœlestem iam possidemus. Nostræ autem partes sunt hortantis Paulo obtemperare. Col. 3. 1. Itaque si resurrexistis cum Christo, superna quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens, supernâ sapite, non terrena. A sollicita igitur curâ, & studio rerum, quæ perituræ sunt, mentes revocandæ, & in cœlum attollendæ, ut ubi thesaurus noster est Christus, ibi sit cor nostrum.

Sedet ad dexteram Patris &c.

Tertia Christi actio in gloria. Nam summum in omnes imperium summa cum gloria & majestate conjunctum etiam, qua homo Christus adeptus omnia in cœlo ac terra potentissimè, ac sapientissimè administrat. Imprimis verò Ecclesiam suam colligit, fovet, regit, tuetur. Sessionem verò hanc Christi ad dexteram patris prædixit propheta. Psal. 110. 1. Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Impletum esse propheticum sermonem ostendit Petrus Act. 2. 34. 35. 36. Marcus 16. 19. Dominus igitur postquam locutus fuisset iis, sursum receptus est in cœlum, & sedit ad dexteram Dei. Ephes. 1. 20. & deinceps. Quam efficacitatem exercuit in Christo, cùm suscitavit eum ex mortuis, & collocavit ad dexteram suam in cœli, longè supra omne imperium ac potestatem, & potentiam, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo sed etiam in futuro, & omnia subjecit ejus pedibus, eumque constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, & complementum ejus, qui omnia implet in omnibus. Sed quid sit sedere ad dexteram Dei, exponamus: deinde quis sedeat: postremò qui sint sessionis Christi ad dexteram Dei fructus. Quid sit autem sedere ad dexteram Dei, uno verbo interpretatur, Paulus. 1. Cor. 15. 25. Nam oportet eum regnare usquequò omnes inimicos subjecerit pedibus ejus. Deus enim ipsum in sum-

Sedet ad dextram Patris.

Quid sit sedere ad dextram.

mam extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen, quod est supra omne nomen, ut ad nomen Iesu omne genu se flectat. Phil. 2. Pet. Act. 2. 26. Certò sciat ergo tota domus Israelis, quod Deus hunc fecerit Dominum et Christum: hunc ipsum Iesum, quem vos crucifixistis. Quæ plenissimè ostendunt summam in cœlis potestatem, & imperium adeptum, omnia regere, nihil esse, quod Domino non subjiciatur. Sumpta est loquendi forma à principum consuetudine, qui eos ad dexteram suam collocant, quibus parem, aut proximum à se honorem concedunt, aut quem in imperij administratione vicarium esse volunt. 1. Reg. 2. 19 Cum venisset Bathsheba ad regem Solomonem, ut loqueretur ei pro Adonia, assurgens Rex obviam & incurvavit se ei, & sedens in solio suo, jussit apponi solium matri regis, quę sedit at dexteram ejus. Psal. 45. 10. Collocata est conjux ad dexteram tuam cum insigni auro Ophyrio. Simile quippiam mater filiorum Zebedæi de liberis curiosè sollicita rogat, ut de filiis Christo alter ad dexteram, alter ad sinistram sedeat. Matt. 20. 21. Nec solùm petit, ut proximum a Christo honorem in regno Dei obtineant: sed etiam in regni administratione velut assessores admoveantur. Significat igitur hæc sessio summam imperandi potestatem cum summo honore coniunctam Christum obtinere. Sedet autem ad dexteram Dei mediator noster Christus, etiam qua homo est: nam qua Deus, æternùm regnat cum Patre. At cum demum mediator noster Christus etiam homo regnare cœpit, cùm in cœlum erectus, qua homo est, omnem in cœlo, ac terra potestatem accepit: & sedet mediator noster ad dexteram Patris Rex, & sumus Pontifex. Quem enim iubet Deus sedere ad dexteram suam, eundem iubet dominari in medio inimicorum suorum, ut hæc sessio non solùm significet iam Christum ad summum amplitudinis locum, & gloriam erectum esse: verumetiam regium imperium fuisse consecutum. Quod ipse Christus disertè testatur, Matt.

Quis sedeat.

28.18. Data est mihi omnis potestas in cœlo & terra. Et Ioh. 5.26.27. Sicut enim Pater vitam habet in seipso, sic dedit & Filio vitam habere in seipso. Et authoritatem dedit ei etiam judicium exercendi, quatenus filius hominis est. Hæc autem judicii exercendi potestas non tantum ad ultimum illud tempus referri debet, quo vivos, & mortuos judicabit. Nam in diem illum mundū etiam gubernare, & imperium Patris ipsius exercere docent sacræ literæ: Dominatur enim in medio inimicorū suorū. Pontificem verò sedere ad dexteram Dei testatur Apost. Heb. 8.1. Talem habemus Pontificem qui consedit ad dexteram throni maiestatis illius in cœlis, sanctuarij minister, ac veri illius tabernaculi quod fixit Dominus, & non homo. Regem igitur habemus, & Pontificē in cœlis sedentem ad dexteram Patris, qui regio, & sacerdotali munere ad nostram consolationem perpetuò fungatur. Vnde sessionis illius fructus facilè possunt intelligi. Ratione enim Christus ubi in altum ascendit & captivam duxit captivitatem, dona Spiritus sui in Ecclesiam cœlitus effundere non intermittit, & unicuique tribuere gratiam, prout commodum videtur: Dat pastores & doctores, ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis sui. Ephes. 4 11.12. Custos est Israelis qui neque dormitat neque dormit: & in medio inimicorum suorum dominatur. Psa. 110.2. Nam ipsum Satanam frustra tumultuantem compescit, tyrannos illius administros, & conjuratos Ecclesiæ hostes dissipat, & nefaria illorum consilia, quod sæpenumerò experimur, eludit facitque, ut castra metentur Angeli circa timentes eum, & eripit eos. Propinquus est fractis animo, & contritos servat. Psal. 34. Peccatum in suis perimit, ne regnum obtineat, donec tandem peccatum penitus, & mortem ultimum hostem aboleat. 1. Cor. 15.36. Hinc blanda in ærumnosa hac vita consolatio nobis petenda est. Summus autem Pontifex semper interpellat pro nobis. Rom. 8.34. Qui etiam excitatus est, qui etiam est ad dex-

Fructus

Fructus sessionis

teram Dei, qui etiam interpellat pro nobis Heb. 7. 24. 25 Iste, propterea quod in æternum manet perpetuum habet sacerdotium, unde & servare perfectè potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens ut interpellet pro iis. Ille enim pretioso suo sanguine pro omnibus peccatis nostris plenissimè satisfecit, unici sui sacrificij vigore, & merito Patrem nobis æternum placat. Præterea nos Reges, & Sacerdotes efficit. Apoc. 1. 6. dat enim nobis vires, quibus Diabolo resistere, peccatum odisse, integritatem, justitiam amare, colere possimus: deinde Patrem Deum ita nobis conciliat, ut intrepidè Abba, id est Pater, inclamemus. Rom. 8, 15. Insulsè verò hoc sophismate Christum hominem ubique esse colligunt. Dextera Dei est ubique: Christus etiam homo est ad dexteram Dei: Ergo Christus homo est ubique. Quatuor sunt termini: nam aliud est dextera Dei, aliud sedere ad dexteram: si assumeretur, Christus homo est dextera Dei, tum planè falsa esset assumptio. Quid sit sedere ad dexteram Dei pluribus supra à exposuimus. Significat autem dextera Dei ipsius virtutem, potentiam qua res gerit & administrat. Act. 2, 33.

Inde venturus ad iudicandum vivos & mortuos. Art. 7.

Septimo articulo quarta Christi actio in gloria exponitur. Iudex enim vivorum & mortuorum à Deo Patre constituitus tandem aliquando justè terrarum orbem judicabit. Constituum judicem testatur Petrus. Act. cap. 10. vers. 42. Præcepit autem nobis (Christus) ut prædicemus populo, et cum testificatione denunciemus eum esse, qui definitus sit à Deo judex vivorum & mortuorum. Et infra 17. 31. Statuit diem, quo justè judicaturus est orbem terrarum, per eum virum, quem definit, fide ejus rei, palam facta omnibus, illo à mortuis suscitato. 2. Tim. 4. 1. Obtestor te igitur ego coram Deo & Domino Iesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos in il. *Iudicaturus vivos et mortuos.*

illustri illo suo adventu, & regno suo. Vnde perspicuè intelligi potest ex definito Dei consilio Christum in judicium esse necessariò venturum: Dei enim decretum irritum esse non potest. Præterea cum sæpe hac vita bonis sit malè, & malis bene, postulat Dei justitia, ut, quemadmodum decrevit, veniat justus ille judex, qui malos justè puniat bonos verò ab improborum injuriis vindicet, et donet iis promissam gloriæ coronam. 2. Thes. 1. 6. 7. 8; Si quidem iustum est apud Deum, vicissim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem: vobis verò qui affligimini relaxationem nobiscum, cùm patefiet Dominus Iesus è cœlo cum angelis suis potentibus, cum igne flammante, infligens ultionem iis, qui Deum non noverunt, neque auscultant Evangelio Domini nostri Iesu Christi, qui pœnam pendent æterni exitij expulsi à facie Domini: Ex quo etiam loco unde judex ille sit venturus, nimirum è cœlo, perspici potest. Quod idem Apostolus plane ostendit 1. Thes. 4. 16. Ipse enim hortationis clamore, cum voce Archangeli, & cum Dei tuba descendet è cœlo. Quo autem modo veniet ex. 1. Act. v. 11. declaratur. Hic Iesus, qui sursum receptus est à vobis in cœlum, ita veniet sicut conspexistis eum proficiscentē in cœlū. Matt. 25. 31. Mar. 13. 26. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum potentia multa, et gloria, Hæc autem potentia cum gloria coniuncta, & summo gaudio pios exhilarabit, & impios terrore maximo percellet. Quo verò die sit venturus nemini patefactum. Mar. 13. 26. De die illo, ac hora nemo scit, ne Angeli quidem, qui in cœlo sunt, nec ipse filius, sed Pater. Non scit filius, qua homo est. Matt. 24. 36. 37. Sicut autem erant dies Noe, ita erit & adventus filij hominis. 1. Thes. 5. 23. Ipsi enim penitus scitis diem illum domini, ut fur noctu venit, ita venturum esse: cùm enim dicent pax & tuta omnia, tunc repentinum ijs imminet exitium, sicut dolor partus mulieri prægnanti, & nequaquam effugient. 2. Pet. 3. 9. & 10. Tempus incertum esse voluit cœlestis Pa-

Vnde venturus.

Quo modo

Quando

ter

ter, ut nos vigilemus & sobrij simus, expectantes adventum Domini. Mar. 13. 35. 36. 37. Vigilate igitur (nescitis enim quando Dominus domus veniet vespere ne an media nocte, an in gallicinio an manè) ne cum repentè venerit, inveniat vos dormientes. 1. Thes. 5. 6 Nempe igitur ne dormiamus, sed vigilemus, & sobrii simus. Non indulgendum voluptatibus, non fovenda carnis securitas. Deinceps videndum, qui judicandi, quæ judicii forma, & quis tandem eventus, & illius executio. Iudicandi erunt omnes & viri, & mortui. Sunt autem vivi, qui in diem illum erunt superstites, & quia statutum est omnibus semel mori, postea verò iudicium. Heb. 9. 27. Subita immutatio illis erit mortis loco. 1. Cor. 15. 50. Momento, & ictu oculi ad ultimam tubam (canet enim tuba) & mortui suscitabuntur incorrupti, & nos mutabimur. Mortui autem dicuntur, qui priùs mortem obierunt. Matt. 25. 32. Et cogentur coram eo omnes gentes. 1. Thess. 4. 16. Et qui mortui fuerint, resurgent primùm, deinde nos vivi, qui reliqui erimus, rapiemur, simul cum illis in nubes, in occursum Domini in aerem, & ita semper cum Domino erimus. Itaque consolamini alii alios mutuis sermonibus. 2. Cor. 5. Omnes enim nos comparere oportet coram tribunali Christi, ut unusquisque reportet, quæ in corpore fecerit, congruenter ad id, quod fecerit, sive bonum sive malum. Cùm itaq; omnes oporteat necessariò comparere, danda est opera, ut corde puro, conscientia bona, & fide non simulata Deum sanctè colentes, in iudicio illo consistere possimus. Iudicii forma partim in congregatione omnium hominum ad iudicium illud, & eorundem separatione: partim in sententiæ dictione posita est. Mar. 13. 27. Et tunc mittit Angelos suos, & suos electos coget à quatuor ventis ab extremo terræ usque ad extremum cœli. Vtetur autem, hortationis clamore, quem vocem Archangeli, & Dei tubam vocat. 1. Thes. 4. 16. Quę omnia nihil aliud significant, quàm Christum angelorum ministerio usurum,

Iudicandi.

Iudicij forma.

quo-

quorum coeusmate, & voce tanquam ingenti tonitru tam mortuos, quàm vivos undique ad se congregabit. Deinde congregatos separabit. Matt. 25. 32. Et separabit alteros ab alteris, ut pastor separat oves ab hædis, & statuet oves quidem ad dexteram suam, hædos autem ad sinistram. Hæc nostra consolatio, quod abiis tandem separabimur, quorum iniquis nunc factis & videndo & audiendo excruciamur. Persuasum interea habeamus novisse Dominum pios è tentatione eripere, injustos autem in diem judicij pœnas dantes servare. 2. Epist. Pet. cap. 2 vers 9. Sententia duplex: altera vitam æternam electis Dei, & justitiam colentibus adjudicat: altera maledictos, & injustitiæ studiosos ob ipsorum hypocrisin, & improbitatem æternis pœnis afficiendos pronunciat. Prior exponitur, Matth. 25. vers. 34.

Prior sententia. Adeste benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento. Esurivi enim, & dedistis quo vescerer &c. In qua sententiæ dictione tres adhibentur causæ, cum argumento ab effectis causarum, propter quas iis, qui sunt ad dexteram tribuitur vita æterna. Prima quia sunt benedicti Dei, quos nimirum Deus singulari gratia complexus in æternum benedictos, & beatos efficit. Iis enim vita æterna adjudicatur, quibus Deus ex gratuito amore donat. Altera, quia hæreditario jure regnum hoc possidendum est. Est enim *cleronomein* hereditatem consequi. Nam ipse Spiritus testatur una cum Spiritu nostro nos esse Filios Dei. Quod si Filij, etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Rom cap. 8. vers. 17. & Ephes. cap. 1. vers. 14. Vocat Apostolus Spiritum sanctum Arrhabonem hæreditatis nostræ. Nullo itaque nostro merito, cum hæreditatem accipiant etiam infantes, qui de parentibus bene mereri non potuerunt, regnum illud obtinemus, sed jure duntaxat filiorum, quos videlicet cœlestis Pater adoptavit in filios per Iesum Christum. Tertia, quod regnum hoc paratum sit

à

à jacto mundi fundamento. Deus enim ab æterno, iis, quos ante jacta mundi fundamenta in Christo elegit, regnum illud paravit. Ex Dei igitur misericordia, non ex operibus justis, quæ fecerimus nos, in filios coaptati secundum æternum electionis nostræ decretum, cœlestem illam hæreditatem adimus. Quod sequitur ab effectis nostræ electionis, supernæ vocationis, & fidei argumentum nos monet, etiam atque etiam studeamus bonis operibus, tanquam fructibus vocationem & electionem nostram firmam efficere. 2. Pet. 1. 10 Sic enim justitiæ studium & fidem per charitatem operantem agnoscet, & probabit iustus ille iudex. Nam dicet, veris veræ charitatis officiis declarâstis vos esse benedictos Dei, quibus hæreditario jure regnum cœleste ex æterno Patris decreto tribuatur. Vox enim, *gar*, in verbis illis esurivi enim, non causam meritoriã vitæ æternæ, ut falsò nugãtur Sophistę, sed fidei effectũ indicat. Rei enim cõfirmãdæ ratio sæpius ex effectis quæ eadẽ sunt causę, sine quibus non afferri solet. Altera sententia v. 41. continetur, Abite à me maledicti in ignem æternũ. qui paratus est diabolo & angelis ipsius, esurivi enim, & non dedistis mihi quo vescerer &c. qua in æternum horrendis pœnis torquendos esse impios ostẽdit. Causæ sunt iustissimę quòd repudiati à Deo sint vasa iræ coagmentata ad interitum. Rom. 9. 22. & descripti ad hanc damnationem. Iud. 4. Deinde in nativa sesẽ corruptione sponte obdurantes execrabiles se Deo reddunt, & improbitate, ac scelere à vita Dei alienos sedemonstrant, ut ipsorum facta justo Dei judicio æternas pœnas mereantur. Facile sophisma illud retexi potest. Si malis operibus justè damnantur homines, etiam bonis operibus justificabuntur. At primum: Secundum igitur. Propositio vera est si pariter sint perfectè bona opera, quibus homines justificentur, & sunt mala, quibus damnantur. At non sunt perfectè bona, vt ne regeniti legem Dei impleant, cùm nemo sit, qui non peccet, 1. Reg. 8, vers. 46. Psal. 143, ver. 2

Altera

Iac

Iac. 3. 2. Ro. 7. Vitam enim æternam nulla iustitia consequi potest, nisi perfecta illa, quam lex Dei requirit, secundum integræ humanæ naturæ gradum. Superest sententiæ executio, cum iis, quæ ad nostram consolationem pertinent, v. 46. Et abibunt isti ad supplicium æternum; iusti verò ad vitam æternam. Continuò enim pii in æterna habitacula recipientur, nec ulla impiis tergiversatio proderit, qui lata sententia mox æternis suppliciis torquebuntur. Interea nos consoletur, quod coram eo iudice comparebimus, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut redimeret nos ex præsenti sæculo malo: quem sedentem ad dexteram Dei, & pro nobis interpellantem, fratrem, & advocatum habemus apud Deum, quem inæternum conciliat nobis. Deinde patienter afflictionem ferre debemus, Luc. 21. 19. & 28. Attollite capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Et ut impiis afflictio vicissim, sic pii sic relaxatio à miseriis expectanda est. 2. 7 hes. 1. 6. 7. Denique utcunque insolescunt impii, qui rebus secundioribus abutuntur, tandem aliquando illis erit malè. Sic enim Abrahamus epulonem illum affatur. Luc. 16. Fili memento te bona tua in vita tua recepisse, & Lazarum similiter mala. Nunc autem hic solamen recipit, tu verò cruciaris. Atque hæc in duas priores symboli partes.

Credo in Spiritum sanctum.

Superest tertia symboli pars explicanda de fide in Spiritum sanctum nostrique sanctificatione. Quæ res quàm sit necessaria cognitu, ex eo intelligi potest, quod patum esset utile Patrem esse creatorem rerum omnium noviſſe, Filium redemptorem, in quo Pater omnia salutis beneficia depoſuerit: niſi accederet Spiritus ſancti, & ſanctificationis noſtræ cognitio, & fides. Nam credere in Spiritum ſanctum eſt penitus perſuaſum habere Deum verum, & coæternum eſſe cum æterno Patre, & Filio, ut unuſquiſque certo ſtatuat ſibi datum eſſe, qui per fidem

Quid ſit credere in Spiritum ſanctum

fidem veram, quam ipse gignit, Christi, & omnium beneficiorum ejus participem faciat, & secum in æternum manens consoletur. Octauo autem articulo de ipsa Spiritus sancti persona & officio, explicata prius Spiritus verbi ambiguitate disseremus: sequentibus vero de Christi Ecclesia à Dei Spiritu sanctificata, collectaque, & beneficiis, quæ a Christo parta ille per fidem applicat Ecclesiæ. Spiritus nomen in Scripturis sanctis primùm significat essentiam: deinde illius effectum & motum: & essentiam vel increatam, vel creatam: increata est Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ioh. 4. 24. Deus est Spiritus. Creata vel est corporea, vel incorporea. Angeli boni, mali: item animæ humanæ sunt incorporeæ. De angelis. Act. 23. 5, Heb. 1. versu vltimo. Nonne omnes sunt ministratores Spiritus, qui ministerii causa mittuntur, propter eos qui hæredes erunt salutis. De anima humana. Eccles. 12. 9, 1. Cor. 2. 11. Quis enim hominum novit ea, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui est in eo. Essentia corporea est ventus. Ioh. 3. 8. Spiritus, quo vult, spirat. Spiritus etiam nomine dona, & motus Spiritus significantur. Ioh. 7. 39. Hoc autem dixit de Spiritu illo, quem accepturi erant credentes in eum. 1. Thes. 5. 19. Spiritum ne extinguite, unde multa Spiritus sancti attributa, de quibus posteà. Est autem Spiritus sanctus tertia persona deitatis à Patre, & Filio procedens, quæ Patri, & Filio coæterna, coæqualis, & consubstantialis ab utroq; mittitur in corda electorum, ut eos fide purificet, & plenius indies sanctificando ad vitam æternam perducat. Personâ esse uniceæ deitatis distinctam à Patre & Filio, suprà ostendimus: quod multis præterea scripturæ testimoniis demonstrari potest. Ioh. 15. 27. Cum autē venerit Advocatus ille, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus ille veritatis, qui à Patre procedit, ille testabitur de me, ex quo Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio, & distinctam esse personam manifestum est. Cumque sit verus Deus, Patri, & Filio co-

Nominis Spiritus significatio.

Quid Spiritus sanctus.

coæternum, coæqualem, & consubstantialem esse perspicuè intelligi potest. Actorum capite quinto, versu tertio. Dixit Petrus, Anania cur implevit Satanas cor tuum, ut mentireris in Spiritum sanctum? & versu quarto: Non es mentitus homini, sed Deo. In Spiritum sanctum peccatur ad mortem. Evangel. Matthæi capite duodecimo versu 31. Propterea dico vobis, quodvis peccatum & Blasphemia remittitur hominibus: blasphemia verò in Spiritum non remittitur hominibus. Iohannis capite 5. versu 7. Deus itaque. Et ad cultum divinum illi deferendum Baptismo initiati obstringimur.

In nomen enim Spiritus sancti Baptizamur, ut testimoninum habeamus, quòd Spiritus sanctus noster servator sit, & Dominus: & ut nos ipsi testemur nos Spiritu sancto, ut servatore, & sanctificatore nostro confidere, & eidem, ut Domino nostro servire velle.

Præterea ille unus, & idem Spiritus sanctus omnia Dei dona, prout vult, benigue distribuit, ita tamen ut non excludat Patrem, & Filium: nam ille à Patre, & Filio immediatè bona omnia largitur, quæ ipse natura, & origine non dantis tantùm gratia accepit. Priori ad Corinthios Epistola, capite, duodecimo versu vndecimo. Sed omnia hæc efficit unus ille, & idem Spiritus, distribuens privatim illa singulis, sicut vult.

Et paulò ante versu quarto distinctiones donorum sunt, sed idem Spiritus. Quod verò detur à Patre, & Filius eum à Patre mittat, ex eo non sequitur personam non esse, aut Patre & Filio inferiorem. Nam ipse Filius Dei donum est. Evangel. Iohanni capite quarto, versu decimo.

Si nosses donum illud Dei, & quis sit ille, qui dicit tibi, da mihi potum, tu petiisses ab eo. Et

idem

idem à Patre missus est. Epistola ad Galatas capite quarto, versu quarto. Emissio autem Spiritus sancti in corda electorum nihil est aliud, quàm ipsius patefactio per effusionem variorum in Ecclesiam donorum: nulla enim à Deo facta loci mutatio fingenda est.

Sic cum cælo descendit Filius, & venit in orbem terrarum non locum mutando, cum infinitus non posset, sed nostram naturam assumendo sese mundo patefecit. Officium verò Spiritus sancti ex effectis intelligitur, quæ ex multis pauca exponemus, quibus se sanctitatis authorem ostendit, ut meritò sanctus vocetur. *Officium Spiritus sancti ex effectis intelligitur.*

Primùm docet, & veritatis cognitione mentes hominum illustrat. Evangel. Iohannis capite decimo sexto, versu decimo tertio. Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, introducet vos in omnem veritatem: Ideò Spiritus sapientiæ appellatur. Epistola ad Ephesios, ca. primo, versu decimo-septimo. Deus Domini nostri Iesu Christi Pater ille gloriæ det vobis Spiritum sapientiæ, & revelationis per agnitionem ipsius. Propheta Esaias, capite undecimo, versu secundo. Fidem gignit & electos Deo renovat, peccati odio, & iustitiæ studio verè imbuit. Evangel. Iohannis, capite tertio, versu quarto. Nisi quis fuerit genitus ex aqua, & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Epistola priori ad Corinthios capite sexto versu vndecimo. Christus dicitur baptizare Spiritu sancto, & igne.

Ignis autem, & aquæ vocabulis significatur vis, & efficacia Spiritus sancti ad purgandum, & exoquendum nativam vitiositatem, & amorem in nobis accendendum tum erga Deum, tum erga proximum.

Idcirco etiam Spiritum vitæ Paulus vocat Epistola ad Romanos, capite octavo, versu secundo.

Eò.

Eò quod novæ vitæ studium imperet, & illius sit author. Tertiò per fidem nos Christo magis, ac magis inserit, ut in unum corpus coalescentes ad Dei imaginem instauremur. 1. Cor. 12. 13. Per unum Spiritum in unum corpus nos omnes baptizati sumus. Quartò regit, tuetur. Rom. 8. 13. 14. Si Spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, ij Filii Dei sunt. Quintò consolatur. Ioh. 14. 16. Ego verò rogabo Patrē, & alium advocatum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum: unde Spiritus, Paracletus. Consolator, & Advocatus dicitur. Sextò interpellat pro nobis suspiriis inenarrabilibus. Rom. 8. 26. Et quia precandi studio nos imbuit, Spiritum precationis appellat Zacharias cap. 12. 10. Effundam super domum Davidis, & super habitatores Ierusalaimorum Spiritum gratiæ & deprecationum. Septimò fidem obsignat, & nos reddit certos de salute per Christum Iesum parta, Epist. ad Rom. ca. 8. ve. 16. Ipse Spiritus testatur una cum Spiritu nostro nos esse Filios Dei. Hinc adoptionis Spiritus appellatur, quia nostram in Christo Iesu adoptionem obsignat, & est Arrhabo ac sigillum hæreditatis nostræ. 2. Cor. 1. 22. Qui unxit nos Deus est, qui etiam obsignavit nos, indeque Arrhabonem Spiritus in cordibus nostris. Eph. 1. 14. Qui est Arrhabo hæreditatis nostræ, dum inhibentem vindicemur. Octavò, in afflictionibus, & in ipsa morte plusquam victores nos efficit. Rom. cap. 8. ver. 37. Act. 5. 40. 41. Atque hæc eadem certissima sunt signa, quibus agnoscitur Spiritus sancti in nobis habitatio, quem electi Dei in universum amittere non possunt. David enim cùm gravissimè peccasset: precatur, Spiritum sanctum tuum ne recipias à me. Psal. 51. Nam etsi lætitiam cordis, conscientiæ puritatem, & multa alia Spiritus sancti dona per lapsum amiserat, quæ sibi petit restitui, tamen ipsum Spiritum non penitus amisit. Quæ verò Spiritus dona acceperunt Saul & Iudas communia fuerunt hypocritis, non electorum propria. Idcirco Spi-

ritus

ritus Iehovæ recessit à Saule, & perturbavit eum spiritus malus à Iehova. 1. Sa. 16, 14. Nobis igitur si Spiritū Christi habemus non secundū carnem, sed secundum Spiritū erit in cedendū, studio: eq; cavendum, ne contemptu ministerij Ecclesiastici, neglectu studij, & meditationis doctrinę cælestis, precum, & invocationis Dei: abusu donorum Spiritus sancti, ipsius vim in nobis operantem desinere patiamur: aut contra conscientiam peccando tristitia afficiamus Spiritum illum sanctum Dei, per quem obsignati sumus in diem redemptionis. Ephes. 4 vers. 30. *Doctrina vsus.*

Credo sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum communionem.

Hactenus de Spiritu sancto: deinceps de nostri sanctificatione, & donis a Christo partis, quæ Dei Spiritus Ecclesiæ per fidem applicat, nobis dicendum erit. Nostri autem sanctificationem efficit Dei Filius, dum ab initio ad finem usque sibi ex universo genere humano eorum ad vitam electorum per Spiritum, & verbum colligit, tuetur, ut eorum unusquisque certò statuat se vivum illius cœtus membrum esse, & perpetuò mansurum. Sic credimus Ecclesiam sanctam Catholicam esse non in sanctam Ecclesiam: Nam ut scribit Augustinus sermone. 131. de tempore. Sciendum est, quod Ecclesiam credere, non in Ecclesiam credere debeamus: quia Ecclesia non est Deus, sed domus Dei. Et Ruffinus in expositione symboli. In, præpositio non additur, ut dicatur in sanctam Ecclesiam, sed sanctam Ecclesiam credendam esse, non ut in Deum, sed ut Ecclesiam Deo congregatam. Hac igitur præpositionis syllaba creator à creaturis secernitur, & divina separantur ab humanis. De nomine verò primum Ecclesiæ, quibus modis in scripturis sanctis usurpetur: deinde quid illa sit de qua agitur, & quibus notis ea propriis describatur, paucis differemus. Vox *Colligitur Ecclesia.* *Credimus Ecclesiam esse.* *De nomine Ecclesia.*

autem Ecclesia *apo tou kleein*, verbo antiquo, quod idem significat atque *calein* vocare, deducta est, quæ Græcis significabat eam hominum multitudinem, quæ jussu magistratus in locum publicum veniebat vocata, quæ *ennomos Ecclesia*. Actor. capit. 19 vers. 38. appellatur. Vnde etiam queritur ad significandam concionem, quæ etiam tumultuosè concurrit, ibidem versu 39. Ab honestis verò & legitimis cœtibus translata vox significat primùm cœtum quemvis eorum visibilem, qui Evangelio auscultant, sacramentis utuntur, & disciplinæ divinitus institutæ obtemperant. Act. ca. 20. versu 28. 1 Epist. ad Cor. 11 vers. 22. Secundò, sæpiùs unius in his, aut loci eorum, ut Ephesi, Smyrnæ, Hierosolymis, Romæ. Tertiò familiæ unius fideles. Epist. ad Roman. cap. 16. vers. 3. 5. Salutate Priscillam & Aquilam adjutores meos in Christo Iesu. Item Ecclesiam, quæ in domo eorum est. Epist. ad Colos. cap. 4. vers. 15. Quarto senatum Ecclesiasticum, quem Lucas *Presbyterion* appellat Cap. 22. vers. 66. Evangel. Matthæi cap. 18. versu 17. Quod si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut Ethnicus, aut Publicanus quidam. Omnes isti cœtus sunt visibiles, qui interdum corrumpi, & depravari possunt, ut absolutè Ecclesiæ nomen non retineant. Idcircò cum id acciderit corrupti, & depravati cœtus dici debent, ut olim Ecclesia decem tribuum, postquàm se à regno Iudæ separavit, ad quam tamen fœda licet Idololatria inquinatam electos suos colligendi causa Prophetas mittere non intermittebat Dominus: Ac ipsa Iudæorum Ecclesia cum Idololatria ab impiis regibus invecta pollueretur. Et multis jam retro sæculis Papanorum Ecclesia, quæ, etsi fundamentalia retinuerit, symbolum fidei, & sacram scripturam perversis interpretamentis, & traditionibus humanis fœdè obscuratam, baptismum impuris ritibus contaminatum, multa tamen superstitionum

&

& idololatria fœdata est : at ijdem illi cœtus, si quando Deus eorum misereretur, interdum veritatis cognitione ex Dei verbo purè magis illuminari, & abjectis superstitionum & idololatriæ sordibus, expurgari solent. Quæ res olim Iosaphati, Ezechiæ, & Iosiæ temporibus accidit. Et nostro sæculo cœpit Dominus summè benignus Ecclesiæ suæ misereri, ac ex ipsis errorum Doctoribus puriore Evangelii sui cognitione quosdam imbuere, qui Spiritu fortitudinis excitati Dei cultum ex ipsius in verbo patefactæ voluntate instaurandum contenderunt, nihilque Dei populo tenendum docuerunt, quod scriptis Propheticis, & Apostolicis non traderetur. Hinc salutis Doctrinam hauriendam, hinc adhibendos puriores sacramentorum ritus, & omnem à Deo institutam rationem : hinc denique omnem Ecclesiæ disciplinam, & ordinem constituendum esse. At Dei gratia quantumvis benignè oblata repudiatur, & indignissimis modis rejicitur, partim eorum improbitate, & infesto adversus ipsam lucem odio, quos princeps sæculi hujus excæcavit, ut tenebras luci, mendacium veritati anteponant, partim quorundam pertinacia, qui ex nobis ipsis exorti perversa loquuntur, ut discipulos post se abstrahant, quemadmodum dixit Paulus Act. 20. Sic justus Deus hominum *ἀcharistian* justissimè punit. Quod si cœtum illum visibilem quæris, quam Ecclesiæ in terris nomine meritò dignetis ille est, qui canonem scripturæ tenet, in scripturis enim inveniuntur omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi. Augustinus de doctrina Christiana. lib. 2. cap. 8. Qui purè sacramenta divinitus instituta salutis promissioni obsignandæ de remissione peccatorum propter meritum Christi adhibet : Qui denique ordinem, ac disciplinam ex Dei verbo constitutam tuetur, ac servat. Nullam igitur instaurati cœtus nostri

Quid sit propriè visibilis Ecclesia.

secessionem ab Ecclesia fecerunt, ut falsò Pontificij calumniantur. In Ecclesia enim nati sumus, & educati, adeòque perpetuò mansuri. Perversa Pontificiorum dogmata, superstitiones gentium ritus, antiquatas Christi adventu, Iudæorũ cæremonias, fabulas, idololatriam ejuramus, & ex animo detestamur: quæ verò cum Dei verbo consona docent libenter amplectimur, precati, ut Deus illorum aliquando misertus sine cæveritatis suæ cognitione illustret & ad saniorem mentem revocet. Interea non tam illis de Ecclesiæ titulo rixandum (nam ultro Ecclesiæ, depravatæ tamen & corruptæ, nomen tribuimus) quam de eluendis errorum sordibus, quæ in Ecclesiam Dei exundârunt, adhibitis sanctarum scripturarum fontibus etiam atque etiam cogitandum. Sed nullum est, inquiunt, Hæreticorum delirium, quod non verbi authoritate niti contendant, ut verbum Dei neque omnis doctrinæ norma, neque prædicatum propriè sit Ecclesiæ visibilis nota. Verùm Chrysostomus homilia. 13. in secundam ad Cor. scripturam vocat exquisitam omnium rerum trutinam, & normam, & regulam. Origenes in Ieremiam: Necesse est, inquit, scripturas sanctas in testimonium vocare, sensus quippe nostri, & enarrationes sine his testibus non habent fidem. Et August. lib. 2. cap. 19. de sermone Domini in monte: Astores non debere pelles suas depellere, si quando eis lupi contegant. Præterea si notam hanc ideò Pontificij rejicerent, quod ab Hæreticis usurpetur, illis & Ecclesiæ, & sacris omnibus reddendũ foret. Sed illud est, quod eos malè habet, actum de regno suo, & omni scenico apparatu vident, si ad Dei verbi puritatem Ecclesiæ suæ dogmata revocentur. Atque hæc de visibili Ecclesia. Significat præterea Ecclesiæ nomen cœtum illum electorum omnium, qui fide Christo capiti conjuncti aut conjungendi cum eo, & Deo Patre per Spiritum, & sincerum charitatem inter se mutuò communionem habent.

Quid sit Ecclesia de qua in symbolo.

Matt.

Matt.16.18.Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non superabunt eam, quæ mater nostrum omnium appellatur.Gal.4.26.Illa verò quæ sursum est Hierusalem libera est, quæ est mater omnium nostrum, de hac ad Eph.5:27.29.Sanctam civitatem, & novam Hierusalem descendentem è cœlo, paratam, ut sponsam ornatam viro, vocat Iohannes Apocal. 21.2.Hæc comparatur corpori, cujus caput est Christus Ephes.1.21.22.23. Domui, cujus fundamentum est Christus.1. Timoth.3.15. Ephes.2.20. Sponsæ, cujus sponsus est Christus. Matt.9.15. Ecclesia igitur hæc electos propriè significat, quia alij nulli esse possunt aut corpus, aut domus, aut sponsa Christi. Hanc esse in symbolo credimus, quæ rectè invisibilis dici solet. Nam fides demonstrat, quæ non videntur, & fieri non potest, ut electi Dei, qui fuerunt, sunt, & futuri sunt, ulla oculorum, quantum vis intenta acie conspiciantur. Martyres, qui sunt in cœlis, ad Ecclesiam Dei pertinent. At quibus oculis illos intuebimur? Fateor fideles in terris peregrinantes conspici, sed novit Dominus, qui sint sui: & ipsis dant testimonium Spiritus, quo se Dei Filios esse noverint. Non ut de aliis temerè pronuncient. Sæpe enim hypocritæ pro veris Christi membris sese ostentantes judicium fallunt humanum. Describitur hæc invisibilis Ecclesia suis adjunctis in symbolo. Primùm sancta est, partim, quia Christi sanguine ab omni peccato purgata est.1. Ioh.1.7. Sanguis Iesu Christi Filij eius purgat nos ab omni peccato: partim quia illius membra Dei Spiritu acta, sanctitatis studio ducuntur.1.Cor.6.11.Sed abluti estis, sed sanctificati estis, iustificati estis in nomine Domini Iesu, & per Spiritum Dei nostri. Et vers.19. An ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritus sancti, qui est in vobis, quem habetis à Deo, neque vos esse vestri iuris? Catholica autem dicitur, quia Deus electos suos prout illi placet, ex vniverso genere humano qui bus vis temporibus, & ex quibusvis gentibus, & popu-

Nota invisibilis Ecclesia.

lis sibi colligit, Io. 11. 51. 52. Hoc autem ex semetipso nõ dixit Caiphas, sed cùm esset Pontifex maximus anni illius prophetavit fore, ut Iesus pro gente moreretur nec tantùm pro ea gente, sed ut etiam Filios Dei dispersos cogeret in unum. Apoc. 5. 9. Dignus es, qui accipias librum & aperias ejus sigilla, quoniam mactatus es & redemisti nos Deo per sanguinem tuum ex omni tribu & lingua, & populo, & natione. Præterea hujus invisibilis Ecclesiæ hæc sunt propria. Primùm quod nullos hypocritas habet. Hujus enim Ecclesiæ membra verè non simulatè in Deum credunt, & non tantùm sunt in Ecclesia, sed etiam de Ecclesia. 1. Ioh. ca. 2. 19. Secundò jidem illi singuli Deo soli sunt cogniti. 2. Timoth. 2. 19. Novit Dominus eos, qui sunt sui. Tertium, eorum singulorum nomina in cœlo, & libro vitæ scripta sunt. Luc. 10. 20. Quartò hæc Ecclesia, aut ipsius membra nunquam prorsus à vera fide deficit, id est, a fundamento fidei decedit, licet in multis interdum etiam electi labantur, dum à Domino peregrinantur. Hic diligenter animadvertendum, ne Papanorvm more vera, & propria sponsæ Christi, quæ est invisibilis, elogia, ulli cœtui visibili tribuamus. Cœtibus enim visibilibus sic admisti sunt hypocritæ, ut electorum propria illis tribui non debeant, ant si tribuantur, id fiet tantùm Filiorum Dei respectu. Quod dum minus attenditur Ecclesia Romana, quæ est verè scortum, sponsæ Christi, quæ sancta, & pura est, arrogat insignia, & ornamenta, quibus se mundo ostentat, & fucum planè facit.

Admonitio necessaria,

Sanctorum communionem.

Tertia est in symbolo Ecclesiæ proprietas, quæ adeò germana est, ut ipsius Ecclesiæ essentiam complecti, & declarare videatur. Sanctorum nomine intelligimus vera sanctæ Ecclesiæ membra, de quorum sanctitate supra diximus: Ij verò universi & singuli per fidem,

&

& Spiritum sanctum in ipsis habitantem, Dei Patris, & Christi, omniumque beneficiorum ejus, tanquam ipsius membra communionem habent: & quæ singuli acceperunt dona in Ecclesia visibili, ea in commune commodum, & corporis Christi ædificationem prompte, & alacriter conferunt. Nam fide primùm Christo capiti omnes conjungimur membra corporis ejus, ex carne ejus, & ex ossibus ejus. Ephes. cap. 5. 30. Et ei, ut viti palmites, adhærescimus. Ioh cap. 15. 5. Ego sum vitis, vos palmites: is, qui manet in me, & in quo ego maneo, is fert fructum multum. Gal. 2. vers. 20. Deinde per Spiritum sanctum hæc Christi communio arctè illimè astringitur. 1. Ioh. 4. 13. Per hoc cognoscimus nos in eo habitare, & ipsum in nobis, quod de Spiritu suo dedit nobis. 1. Cor. cap. 12. vers. 13. Per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus, ut qui Spiritum Christi non habet, is non sit eius. Rom. cap. 8. vers. 9. Fide igitur & Spiritu Dei perficitur hæc communio, quam habent fideles cum Deo Patre, & Filio ejus Iesu Christo. 1. Ioh. cap. 1. vers. 3. Quod vidimus, & audivimus, id annunciamus vobis, ut & vos communionem habeatis nobiscum, & communio nostra sit cum Patre, & cum Filio ejus Iesu Christo. 1. Cor. cap. 1. ver. 9. Fidelis est Deus, per quem vocati estis in communionem Filij ipsius Iesu Christi, Domini nostri. Hanc communionem obsignat sacra Domini cœna. 1. Cor. 10. vers. 16. Poculum benedictionis, cui benedicimus nonne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus nonne communio corporis Christi est? Ex hac verò nascitur communio bonorum Christi, qui factus est nobis sapientia à Deo, justitiaque, & sanctificatio, & redemptio. 1. Cor. 1. vers. 30. Is enim, qui pro proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus tradidit eum, qui non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur. Ro. 8. 32. Ad hanc communionem Christi fovendam vehemens est illa Augustini cohortatio, tractatu 11. Iohan. 26.

Fide et Spiritu Dei efficitur hæc communio.

Dic mihi, inquit, Spiritus tuus vivit ex corpore tuo, & corpus tuum ex Spiritu tuo. Respondeat, omnis qui vivit: qui enim hoc non potest respondere, nescio, si vivit. Quid respondet omnis, qui vivit? Corpus utique meum vivit de Spiritu meo. Vis ergo & tu vivere de Spiritu Christi? In corpore esto Christi. Nunquid enim corpus meum vivit de Spiritu tuo? meum vivit de Spiritu meo, & tuum de tuo. Non potest vivere corpus Christi, nisi de Spiritu Christi. Inde est, quod exponens nobis Paulus Apostolus hunc panem. Vnus panis, inquit, unum corpus multi sumus. O sacramentum pietatis, ô signum unitatis, ô vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat: accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Hæc de invisibili sanctorum communione. Externa verò in donorum à Deo acceptorum ad Ecclesiæ ædificationem usu, & communicatione posita est: Nam ea lege accipimus Dei dona, ut in commune commodum Ecclesiæ conferamus quisque pro vocationis suæ ratione. Charitas non quærit quæ sua sunt. 1. Cor. 13. 5. & disertè præcipit Apostolus Phil. 2. 4. Ne sua quisque spectato, sed unusquisque etiam, quæ sunt aliorum. Dedit autē Deus alios apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios autē Pastores et Doctores ad coagmentationē sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi. Ephes. 4. 11. 12. Cum igitur unicuique data sit gratia pro mensura doni Christi, debet eam in commune Ecclesiæ cōmodum impendere, ut legitimo bonorum Dei usu, & sincera charitate ertò statuat se communionem cum Christo, & fidelibus habere, in quorum sit numero et perpetuò mansurus. In donorum acceptorum communicatione illud observandum, ne quid malignè, aut gravatè, sed omnia prompte & alacriter fiant. Nam hilarem datorem diligit Deus 2 Cor. cap. 9. vers. 7. & Rom. 12, 8. Qui miseretur cum hilaritate.

Externa communio.

Vsus doctrinæ

Admonitio

De Ecclesia, & propriis ipsius notis diximus, sequuntur dona Christi morte parta, quæ fide singulis Ecclesiæ membris applicantur. Primum donum remissio peccatorum, quæ est condonatio gratuita tum primarii peccati, cuius reatu nos omnes Adamus obstrinxit, & nativæ pravitatis, tum eorum, quæ ex illa oriuntur, peccatorum, adeoque omnis reatus propter Christi obedientiam, & satisfactionem, ut nemo fidelium in judicium veniat unquam, sed justus coram Deo constituatur. Sed quo res melius intelligatur de remittendi verbo, & iis, quæ nobis remittuntur: Deinde à quo peccata remittuntur, quæ sit impellens causa: denique quis fructus consequatur dicendum erit. Est autem remittere nulla persolutione debiti facta, illud gratis condonare. Non enim remittere dicimus creditorem, qui antapoche testatur pecuniam sibi numeratam esse, sed qui debitori verè ita remittit, ut nomina prorsus inducat, & deleat, ne unquam in rationem veniant: sic Deus credentibus peccata nobis omnia remittit, ut eorum omnium memoriam deponat, & eos, quibus remittuntur propter Christi obedientiam, justos censeat. Remitti verò Deus peccata omnia. Ier. 31.34. Cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum eorum, dictum Iehovæ, me condonare iniquitatem ipsorum, & peccati ipsorum non recordari amplius. Psalm. 103.2,3. Benedic anima mea Iehovæ, & ne obliviscaris ullorum beneficiorum eius. Qui condonat omnes iniquitates tuas, qui medetur omnibus morbis tuis. 1. Ioh. 1.7. Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato. & vers. 9. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & purget nos ab omni iniquitate. Col. 2. 13. Quæ, ut multa alia in eandem sententiam scripturæ testimonia, sic intelligi debent, ut tam pœnam omnem peccati, quam reatum, & culpam remitti persuasum habeamus. Nam sublato reatu pœnæ causa, quis pœnam,

Remitti Deus reatum & pœnam peccati

nam, quæ effectum est culpæ, reliquam esse dixerit? Et qui summè misericors esset Deus, si ab reatu absolutis peccati pœnas exigeret? Augustinus sermone 141. de tempore, Christus communicando nobis sine culpa pœnã, & culpã solvit, & pœnam. Quòd multis miseriis, & calamitatibus exagitamur: non peccati pœna est, sed Dei Patris clementissimi castigatio, qua suos electos interdum castigat, & regni hæredes filio suo unigenito conformes reddit, ac per multas afflictiones ingredi regnũ illud efficit. Hac enim commodissima ratione nos rerum caducarum cupiditatem deponere, & æterna illa bona expetere condocefacit. Peccati igitur nomine primariũ illud Adami peccatũ, cujus omnes rei sumus, & inde orta nativa pravitas, omniaq; tam omissionis, quàm quæ actualia appellantur, peccata cum omni eorum reatu significatur. Hæc autem solus Deus propriè remittit: siue enim Deum ipsũ, siue proximum offendimus, semper lædimur Dei majestas, cujus voluntatẽ infringimus. Lu. 5. 21. Quis potest peccata remittere, nisi solus Deus. Ideò David in celebri illa peccati sui confessione inquit. Psa. 51. 6. Tibi tibi soli peccavi, & quod malũ est in oculis tuis feci. Esa. 43. 25. Ego, ego ipse deleo defectiones tuas propter me, & peccatorum tuorũ non recordabor. Tribuit, fateor, Christus Mat. 18. 18. Apostolis, & Ecclesiæ pastoribus legitimè vocatis potestatem solvendi, & ligandi peccata. Quæcunq; inquit, ligaveritis in terra, erunt ligata in cœlo, & quæcunque solveritis in terra erunt soluta in cœlo. Sed nihil est absurdi: Apostoli enim, & pastores Ecclesiarum, Christi nomine, non suo, credentibus, & verè resipiscentibus peccata esse remissa testificantur; contumacibus verò, & iis, qui resipiscere nesciunt, non esse veniã declarant, ut illi tantummodò divinæ voluntatis interpretes sint, & intercursij: potestas autem ligandi, vel solvendi sit penes unum Deum. 1. Cor. 5. 45. Causa verò, quæ Deum ad ignoscendum, & grãtis dandũ peccatorũ veniam commoverit, non aliam agnoscimus, quàm

Prolepsis.

Quid peccati nomine comprehendatur. A quo.

Prolepsis.

Impellens causa.

Christi

Christi obedientiam, mortem, & satisfactionem pro peccatis nostris. Rom. 5. 19. Sicut enim per inobedientiã unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituentur multi. 1. Pet. 3. 18. Christus semel pro peccatis passus est, justus pro injustis, ut nos ad Deum adduceret. 1. Ioh. 1. 7. Eph. 1. 7. In Christo Iesu habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum ex divite illius gratia. Quamobrem cùm se vadem ultrò pro nobis interposuerit Christus, & ab eo Deus Pater severissimè pœnas omnium peccatorum nostrorum expetierit, quem ipse etiam ex gratuito amore pro nobis omnibus tradidit, divinæ justitiæ consentaneum est maximè, ut nobis propter Christi obedientiam, gratis remittantur peccata. Nostri igitur respectu gratis peccatorum remissionem consequimur. Christi verò pro nobis gravissimè luentis, divinæ justitiæ plenissimè satisfactum est, ut Deus summè misericors, justitiæ suæ nullo modo renunciârit. Fructum remissionis peccatorum beatitatem esse, & veram fœlicitatem prædicat Paulus. 4. Rom. vers. 7. & ex Psalm. 32. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Nihil enim ad veram justitiam, & vitam illam æternam consequendam desideratur, si remittantur peccata, & propter Christi satisfactionem non imputentur nobis. Etsi difficile remissionem peccatorum credere, tam fixis tamen, & solidis fundamentis hæc persuasio nititur, ut de ea nullo modo dubitare debeamus. Dei enim fœdere, quod æternum, & immutabile est, gratuita peccatorum venia promissio continetur. Ier. cap. 31. vers. 34. Deinde cùm gratuitum fœdus rationem testamenti habeat, quod morte duntaxat testatoris firmum est, sitque Iesus Christus Iehova ille, qui novum fœdus pepigit, & qui homo est, morte sua promissionem fœderis & testamenti de gratuita peccatorum remissione ratam fecit,

nihil

nihil firmius, nihil certum magis, quam propter Christi obedientiam, & fusum pro nobis illius sanguinem peccata nobis omnia gratuitò condonari.

Artic. 11. *Carnis resurrectionem.*

Alterum Christi beneficium est ex priore natum. Nam si tolluntur peccata nullum mortis imperium erit, neque in animam, neque in corpus, ut in æternum pereant, quod merentur peccata nostra: stipendium peccati mors. Rom. 6. 23. Quapropter credendum unicuique non solùm fore, ut anima sua postquam è corpore excesserit è vestigio ad Christum suum caput, assumatur: verumetiam ipsius caro, id est, corpus potentia Christi servatoris excitetur, & rursus animæ suæ uniatur, Christique corpore glorioso conformetur. Etsi carnis ultimo illo die suscitandæ in symbolo tantùm fiat mentio firmè tamen credimus animas, simul ac è corporibus evolârint, in æterna recipi habitacula, & in sinum Abrahami ipsum fœlicitatis locum. Quod primùm luculentis scripturæ testimoniis demonstremus: deinde carnis resurrectionem paucis, ac breviter explicemus. Scriptū legimus Eccles. 12. 9. de hominis dissolutione redire ipsum pulverem videlicet corpus in terram, quemadmodum fuerat. Spiritum autem redire ad Deum qui dederat illum. Luc. 16. 22. factum est autem, ut moraretur mendicus (de Lazaro loquitur) & asportaretur ab angelis in sinum Abrahami, vbi solamen recepit, qui in vita sua recepisset mala. Christus latroni gratiam petenti. Luc. 23. 43. Hodie mecum eris Paradiso. Quod de anima in beatitatis locum recipienda solùm intelligi potest. Precatur Stephanus. Act. 7. 59 Domine Iesu, suscipe Spiritum meum. Et animæ eorum, qui mactati fuerant propter verbum Dei, & propter testimonium, quod tenebant, clamabant voce magna, dicentes, vsquequo Domine, qui sanctus es, ac verax, non judicas, ac vindicas sanguinem nostrum ab iis, qui habitant in terris? Apoc. 6. 9. 10. Et

Carnis resurrectio.

qui

quibus locis perspicuum est animas nostras, ubi è corporibus emigrârunt, superstites beata illa, & immortali vita frui, tandemque aliquando in corpora remigrantes felicitatem sempiternam una cum illis adepturas, ut somnium meritò Pontificiorum de Purgatorio rejiciamus, & cum Augustino verisq; omnibus catholicis locũ alterum perennis gaudij cœlum, alterũ sempiternæ miseriæ gehennam statuamus. Sic ille *hypognosticon* quinto: Ecce non baptizatus vitali etiam cibo, poculoque privatus dividitur à regno cœlorum, ubi fons viventium permanet Christus. Damihi præter hunc alterũ locum, ubi vitæ possit requies esse perennis. Primum enim locum fides Catholicorum divina authoritate regnum credit esse cœlorum, unde ut dixi non baptizatus excipitur. Secundum *gehennam*, ubi omnis apostata, vel à Christi fide alienus æterna supplicia experietur. Tertium penitus ignoramus, imò nec esse in scripturis sanctis invenimus. In eandem sententiam idem Augustinus multis locis, ut & alij Patres multa scripserunt. De carnis resurrectione dicturi primùm necessariò futuram esse, deinde qua vi, quoque modo fiet, tertiò doctrinæ usum ostendamus. Est autem carnis resurrectio corporis ejusdem uniuscujusq;, posita hac mortalitate, Christi potentia resuscitatio, quam exhorrent impij, ne gravius luant: pij verò firma fide credunt futuram, & magno desiderio expectant. Testis est sepultura Patrum in spem resurrectionis Abrahami, Iacobus, Iosephi tam studiosè procurata. De corporis resurrectione. Iobus c. 19. v. 25. 26. 27. Equidem ego novi redemptorem meum vivere, & posteriorem super pulverem resurrecturum, & postquam confoderint vermes istud, cum evigilavero, tum carne mea me visurum esse Deum (idem) qui sum, ne non alienus visurus sum mihi, & oculi mei aspecturi. Dan. 12. 2. Tandemq; multi ex dormientibus ex pulverulenta terra expergiscentur, hi ad vitam æternam, illi ad opprobria, & contemptum æternum, ubi vox (multi) ad distributionis

Quid sit

Futuram probat

mem-

membra referri debet. Resurgentium enim multi ad vitam æternam expergiscentur, multi ad opprobrium & contemptum æternum. Ioh. cap. 5. vers. 28. Venit hora, qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & prodibunt, qui bona fecerint in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerint in resurrectionem condemnationis 1. Thes. cap. 4. vers. 16. Et qui mortui fuerint in Christo, resurgent primùm. Apoc. cap. 20. vers. 13. Et reddidit mare mortuos, quos habebat, mors quoque & infernus reddiderunt mortuos, quos habebant, & judicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Quare ut sua Dei verbo constet veritas, necesse est, resurgant mortui. Accedit Dei justitia, quæ non sinet inultos & corpore & animo, qui gravissima exportibus scelera patrârunt, quorum pœnas effugerent corpora, si in sepulchris æternum conquiescerent: neque piorum præsertim martyrum corpora, quæ multa gravia justitiæ causa sunt perpessa, ignominiosè perpetuò jacere. Omnes enim nos comparere oportet coram tribunali Christi, ut unusquisque reportet, quæ in corpore fecerit, congruenter ad id, quod fecerit, sive bonum, sive malum: 1. Cor. 5. 10. Ambrosius oratione de fide resurrectionis, Hæc, inquit, est series, & causa justitiæ, ut quoniam corporis, animiq; communis est actus, quæ animus cogitavit corpus effecit, utrumque in judicium veniat, ut unumq; aut pœnæ dedatur, aut gloriæ referretur. Præterea Christi corporis membra, & Spiritu S. templa, corpora nimirum nostra necessariò suscitabuntur: tam enim arcta est conjunctio nostrorum etiam corporũ cum Christo capite, ut divelli nullo modo possint. Idcò Paulus ex Christi resurrectione colligit mortuos suscitandos esse. 1. Cor. 15. 19. 20. Nam si mortui, inquit, non suscitantur, Christus quoq; non est suscitatus ex mortuis. 20. Nunc autẽ Christus suscitatus est ex mortuis, & primitiæ eorũ, qui obdormierũt factus est. Ergo mortui suscitabuntur. Quæ conclusio minus etiã dubitationis habebat

Christ.

Christi potentia, et Spiritu sanctificationis qui christũ caput à mortuis suscitavit, nostrorũ corporũ resurrectionẽ certò futuram intelligamus. quod promittit Christus Io. 6.54. qui edit carnem meã, & bibit meũ sanguinẽ, habet vitam æternam, & ego suscitabo ipsum in vltimo illo die Phil. 3. 20.21. Expectamus Dominum Iesum Christum qui transfigurabit corpus nostrũ humile, ut conforme fiat ejus corpori glorioso, pro efficacitate, qua etiã potest subjicere sibi omnia. Quanvis Christo mortuos suscitãdi virtutẽ tribuamus, non minùs tamen Patris, & Spiritus Sanctus est. Patrẽ enim excitasse filiũ legimus. Act. 2.32 & declaratum esse Filium Dei potenter secundũ Spiritum sanctificationis, per resurrectionem à mortuis. Ro. 1. 4. Quod attinet verò ad impiorũ resurrectionem, non resurgent illi quidem resurrectionis Christi beneficio, ac virtute. sed Filij Dei, ut judicis, potestate & authoritate: vnde vitam recipient: sed illis vita in maledictionem cedet. Qualia verò nostra corpora resurgent, pluribus ostendit Apost. 1. Cor. 15. 42. & deinceps. Seritur corpus corruptioni obnoxium, suscitatur cum incorrupta natura: seritur foedum, suscitatur cum decore: seritur omnium vitium expers, suscitatur potens. seritur corpus animale, excitatur corpus spirituale. Animale vocat corpus, quod naturalibus animæ facultatibus, & vitæ hujus alimentis, cibo, potu utitur ad se sustentandum. Spirituale verò, quod Spiritus Christi virtute fovetur, agitur, & in æternum sine caducis alimentis sustentabitur. Hujus autem Doctrinæ usus utilis, & necessarius videri debet. Non enim alia ratione tollendam esse tristitiam, quam ex obitu mortuorum concipimus, docet Paulus 1. Thessalo. cap. 4. vers. 13. 14. Nolim autem vos in ignorantia versari fratres, quod ad illos attinet, qui obdormierunt, ut ne doleatis sicut & cæteri, qui spem non habent. Nam si credimus Iesum mortuum esse, & resurrexisse, ita etiam & Deus eos, qui obdormierint in Iesu, adducet cum eo. Secundò

Prolepsis.

Qualia corpora.

Doctrinæ usus.

membra referri debet. Résurgentium enim multi ad vitam æternam expergiscentur, multi ad opprobria, & contemptum æternum. Ioh. cap. 5. vers. 28: Venit hora, qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & prodibunt, qui bona fecerint in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerint in resurrectionem condemnationis 1. Thes. cap. 4. vers. 16. Et qui mortui fuerint in Christo, resurgent primùm. Apoc. cap. 20. vers. 13. Et reddidit mare mortuos, quos habebat, mors quoque & infernus reddiderunt mortuos, quos habebant, & judicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Quare ut sua Dei verbo constet veritas, necesse est, resurgant mortui. Accedit Dei justitia, quæ non sinet inultos & corpore & animo, qui gravissima corporibus scelera patrârunt, quorum pœnas effugerent corpora, si in sepulchris æternùm conquiescerent: neque piorum præsertim martyrum corpora, quæ multa gravia justitiæ causa sunt perpessa, ignominiosè perpetuò jacere. Omnes enim nos comparere oportet coram tribunali Christi, ut unusquisque reportet, quæ in corpore fecerit, congruenter ad id, quod fecerit, sive bonum, sive malum: 1. Cor. 5. 10. Ambrosius oratione de fide resurrectionis, Hæc, inquit, est series, & causa justitiæ, ut quoniam corporis, animique communis est actus, quæ animus cogitavit corpus effecit, utrumque in judicium veniat, ut unumquodque aut pœnæ dedatur, aut gloriæ referatur. Præterea Christi corporis membra, & Spiritus S. templa, corpora nimirum nostra necessariò suscitabuntur: tam enim arcta est conjunctio nostrorum etiam corporum cum Christo capite, ut divelli nullo modo possint. Ideò Paulus ex Christi resurrectione colligit mortuos suscitandos esse. 1. Cor. 15. 19. 20. Nam si mortui, inquit, non suscitantur, Christus quoq; non est suscitatus ex mortuis. 20. Nunc autē Christus suscitatus est ex mortuis, & primitiæ eorum, qui obdormierunt factus est. Ergo mortui suscitabuntur. Quæ conclusio minus etiā dubitationis habebit

Chri-

Christi potentia, et Spiritu sanctificationis qui christū caput à mortuis suscitavit, nostrorū corporū resurrectionē certò futuram intelligamus. quod promittit Christus Io. 6. 54. qui edit carnem meā, & bibit meū sanguinē, habet vitam æternam, & ego suscitabo ipsum in vltimo illo die Phil. 3. 20. 21. Expectamus Dominum Iesum Christum qui transfigurabit corpus nostrū humile, ut conforme fiat ejus corpori glorioso, pro efficacitate, qua etiā potest subjicere sibi omnia. Quamvis Christo mortuos suscitādi virtutē tribuamus, non minùs tamen Patris, & Spiritus S. opus est. Patrē enim excitasse filiū legimus. Act. 2. 32 & declaratum esse Filium Dei potenter secundū Spiritum sanctificationis, per resurrectionem à mortuis. Ro. 1. 4. Quod attinet verò ad impiorū resurrectionem, non resurgent illi quidem resurrectionis Christi beneficio, ac virtute. sed Filij Dei, ut judicis, potestate & authoritate: vnde vitam recipient; sed illis vita in maledictionem cedet. Qualia verò nostra corpora resurgent, pluribus ostendit Apost. 1. Cor. 15. 42. & deinceps. Seritur corpus corruptioni obnoxium, suscitatur cum incorrupta natura: seritur fœdum, suscitatur cum decoro: seritur omnium vitium expers, suscitatur potens: seritur corpus animale, excitatur corpus spirituale. Animale vocat corpus, quod naturalibus animæ facultatibus, & vitæ hujus alimentis, cibo, potu utitur ad se sustentandum. Spirituale verò, quod Spiritus Christi virtute fovetur, agitur, & in æternum sine caducis alimentis sustentabitur. Hujus autem Doctrinæ usus utilis, & necessarius videri debet. Non enim alia ratione tollendam esse tristitiam, quam ex obitu mortuorum concipimus, docet Paulus 1. Thessalo. cap. 4. vers. 13. 14. Nolim autem vos in ignorantia versari fratres, quod ad illos attinet, qui obdormierunt, ut ne doleatis sicut & cæteri, qui spem non habent. Nam si credimus Iesum mortuum esse, & resurrexisse, ita etiam & Deus eos, qui obdormierint in Iesu, adducet cum eo. Secundò

Proleptis

Qualia corpora

Doctrina usus

fiduciam alit, & spem melioris vitæ unde illud 2. Cor. 5. 1. 2. Tertiò ad studium bonorum operum, & ad fugiendum mala vehementer impellit. Quò pertinet parabola illa, & tristis commination. Ioh. 5. 29. Et prodibunt qui bona fecerint in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerint in resurrectionem condemnationis. Eòdem spectat ultimi illius judicij eventus, qui describitur Matth. 25. 25. v. 46. Et abibunt isti ad supplicium æternum, justi verò ad vitam æternam. Atque hæc de refutatione.

ART. 12. *Et vitam æternam.*

Quæ superioribus articulis à nobis sunt exposita ad finem aliquem referebantur: superest earum omnium finis: & summum bonum: omnia enim quæ credimus, & speramus in vita æterna percipiemus. Augustinus lib. 4. c. 11. de symbolo ad Catechumenos. Esse autem vitam æternam multa scripturæ testimonia perspicuè docent. Rom. 8. 18. Statuo minimè paria, quæ præsenti tempore perpetimur gloriæ in nobis retegendæ. Matth. 25. 34. Adeste, venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento. 2. Cor. 5. 1. Scimus enim nos, si terrestris huius domus nostræ tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium non manu factum, sed æternùm in cœlis. Heb. 13. 14 Non habemus hîc stabilem civitatem, sed futuram inquirimus. Matth. 25. vers. ult. Speramus igitur gloriam illam, regnum, & domicilium æternum, stabilem illam civitatem in æternum duraturam. Cæterùm quid sit vita æterna, & quis usus doctrinæ hujus videamus. Vitam definiunt Philosophi functionem, seu actionem animæ propriam, & peculiarem. Verùm hoc loco non solùm actionem perfectè instauratæ hominis ad imaginem secundi Adami, qui est Christus Deus & homo, sed etiam absolutam summi boni fruitionem significat. Primùm enim, ut beata illa immortalitate frumur, necesse est gustemus imaginem cœlestis Adami, & transfigu-

Esse vitam æternam.

Quid sit vita æterna.

rari

guretur corpus noſtrum humile, ut conforme fiat ejus corpori glorioſo. Phil. 3. 21. Et ſicut ille factus eſt Spiritus vivificus, ita nos vitam animalem in poſterum non vivamus, ſed Chriſti Spiritu perfuſi abſque cibo, potu, & generatione vigeamus ſimiles in cœlo angelis futuri. Matt. 22. 30. Nam qualis pulvereus ille Adam, tales & pulverei ſunt: & qualis ille cœleſtis (nimirum ſecundus ille Adam) tales, & qui cœleſtes erunt. Et ſicut geſtavimus imaginem terreni, geſtabimus etiam imaginem cœleſtis. 1. Cor. 15. 48. 49. Abſoluta verò illa ſummi boni fruitio, quæ vita propriè æterna eſt, variis modis in ſcripturis ſanctis adumbratur. Primùm quia lucis nomine in ſacris res proſperæ ſignificantur, luci, ac ſplendori ſolis, & ſtellarum comparatur. Daniel. 12. 3. Et eruditentes ſplendebunt quaſi ſplendore expanſi, & juſtificantes multos, ut ſtellæ in ſempiterna ſæcula. Matt. 13. 43. Tunc juſti effulgebunt ut ſol, in regno Patris ſui. Hanc lucem Poeta noſter in Pſal. 17. divina oratione luculentè deſcribit. *Variis modis vita æterna deſcribitur*

Illa lux Gerè faciet me ab omni
parte beatum,
Lux voluptatum cumulata cunctis
Gaudijs, cùm ſe ſine nube menti
Pura maieſtas dabit intuendam
Lumine puro.

Hæc angelorum vitæ ſimilis futura eſt. Matt. 22. 30. In reſurrectione neque uxores ducunt, neque nuptum dantur: ſed ſunt, ut angeli Dei in cœlo. Appellatur merces, ſed quæ gratuitò datur propter meritum Chriſti. Matt. 5. 12. Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cœlis: ita enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. Eandem vocat Lucas gratiam cap. 6. 32. quia gratuitò datur. Quòd ſi diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis erit gratia? nam & peccatores

eos diligunt, à quibus diliguntur. A Paulo dicitur justitiæ corona, quia vincentibus datur. 2. Timoth. cap. 4. vers. 8. Quod reliquum est, posita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, justus ille iudex: non solùm autem mihi, sed & omnibus, qui expetierint illustrem illum ipsius adventum. Apocalyp. cap. 21. vers. 7. Victor hæreditario jure obtinebit omnia. Alibi Paradisi nomine loci nimirum voluptatis liquidæ, & summæ amœnitatis pleni significatur. Luc. cap. 23. vers. 43. Hodie mecum eris in Paradiso, inquit Christus, latroni ad latus pendenti. Et sinui Abrahami Patris fidelium omnium comparatur. Nihil enim dulcius, aut jucundius esse potest, quàm liberos blandè in parentum suorum sinu foueri. Luc. ca. 16. vers. 23. Eodem sensu accubitum cum Abrahamo vocat Christus. Matth. 8. 11. Dico autem vobis, multos ab Oriente, & Occidente venturos, & accubituros cum Abrahamo, & Isaaco, & Iacobo in regno cœlorum. Sic exquisitissimis, & suavissimis epulis delicias æternæ vitæ comparat. Quæ Domini gaudium dicitur. Matth. cap. 25. vers. 21. Bene est serve bone, & fidelis, in exiguo fuisti fidelis, super multa te constituam, ingredere in gaudium Domini. Facilius, inquit, Augustinus lib. 3. de symbolo ad Catechumenos cap. 11. possumus dicere in illa vita æterna, quid ibi non sit, quàm quid sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœstitia, nulla tristitia. Consimili modo Apoc. 21. 4. describitur. Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors amplius non extabit, neque luctus, neque clamor, neque labor extabit amplius, quia præcedentia abierunt, & vers. 23. neque civitas ista eget sole vel luna, ut luceant in ea: nam gloria Dei illustrat eam, & lucerna ejus est Agnus. Vita enim illa omnibus miseriis vacua erit, nec ea ulla huic vitæ necessaria egebit. Temporis circumfla-

Augustin. de scriptis

stantia vitæ illius, amplificatur magnitudo: solidæ enim & summæ voluptates erunt nunquam finiendæ. Salutatem verò Dei cognitionem vocat Christus vitam æternam. Ioh. cap. 17. vers. 3. quia fides unica via, & ratio est, qua vitam illam beatam consequimur. Hæc est autem vita æterna, ut te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Eodem modo studiū justitiæ, & sanctimoniæ, vita æterna dicitur, quia ad eam via est. Rom. cap. 6. vers. 23. Stipendia peccati mors: donum autem Dei est vita æterna in Christo Iesu. Ex plana autem fidei persuasione, & spe, qua regnum illud possidemus nascitur solidum illud gaudium, quo Dei servi etiam pessimè habiti, & afflicti exultant. Act. cap. 5. vers. 41. Ad quod etiam atque etiam hortatur Apostolus Phil. cap. 4. vers. 4. Gaudete in Domino, semper rursum, inquam, gaudete. At plena illa æternæ vitæ, & gaudij fruitio, quam obtinent animæ, simul ac è corporibus evolârint, erit in illustri adventu Domini nostri Iesu Christi, cum erit Deus omnia in omnibus, 1. Corinth. cap. 15. vers. 28. Neque enim humanis sensibus, aut ipsa mente summa illa beatitas capi potest: nam si illam capere possemus, jam essemus quodammodò ipsius compotes, cum intellectus re intellecta hactenus saltem fruatur, quatenus eam intelligit. Ideò Paulus. 1. Corinth. cap. 2. vers. 9. ex Esai. cap. 64. vers. 3. Sed prædicamus, inquit, sicut scriptum est, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt quæ paravit Deus iis, à quibus diligitur. Et 1. Io. 3. 2. Charissimi nunc Filij Dei sumus, sed nondum patefactum est quod erimus: scimus autem fore, ut cum ipse patefactus fuerit similes ei simus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Præterea ex morte æterna etiam intelligi potest, quæ sit summæ illius fœlicitatis amplitudo, & præstantia: est enim mors æterna, qua impij horribiliter plectentur privatio bonorum omnium quibus in Dei conspectu pij

Prolepsis

Ex contrario.

fruentur aliquando, & cruciatum, quibus Diaboli in æternum torquebuntur perpessio, quæ tenebrarum nomine indicatur. Matt. 22. 13. Tunc dixit Rex (vestem nuptialem non habentem intuitus) ministris, ligatis pedibus, et manibus ejus, tollite eum, & ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium. Vermem vocat Esai. 66. 24. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Matt. 13. 41. 42. Mittet filius hominis angelos suos, qui colligent ex ipsius regno omnia offendicula, & eos, qui dant operam transgressioni legis: projicientque eos in fornacem ignis, illic erit fletus, stridorque dentium. Apoc. 20. 15. Et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, conjectus est in stagnum ignis, ubi impij Diabolum & angelos ejus socios sunt habitum. Matt. 25. 41. Apoc. 20. 10. Et diabolus, qui seducebat eos, conjectus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi bestia erat, & ille pseudopropheta, & cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. Quid tenebris tristius? quid vermе perpetuò ardente moleslius? quid igne, fornace, stagno ardente igni, & sulphure horribilius à nobis fingi potest. Atremipsam verbis nemo expresserit: nam vel minimus iræ sensus impium prorsus exanimat. Ad doctrinę usum veniamus. Primus est, quia in cœlis reposita est fœlicitas nostra, ut de migratione perpetuò cogitemus, nec corda nostra studio, et cura rerum terrenarum implicari sinamus. 2. Cor. 5, 8. 9. Confidimus autem, & probamus potius migrare è corpore, & ad Dominum ire habitatum: Propterea etiam contendimus, ut & hic commorantes ei simus accepti. 1. Pet. 2. 11. Quò pertinet illa Augustini cohortatio Lib. 4. ca. 10. de symbolo ad Catechumenos. Vita, inquit, æterna dilectissimi nunquam vilescat, sed semper dulcescat. Si amatur vita, quare non quæritur? si amatur, talis quæratur, quæ nunquam finiatur: & si amatur, quare non quæritur? aut si quæritur, quia hic non est, ad eum locum ubi est, quare non festinatur? Christus est vita æterna. Venit ad te vita, re-

Doctrinæ usus.

pen-

pende vicem, & veni tu ad illam. Secundus, cum expectemus plenam redemptionem, quando Filij Dei patefient, patienter in diem illum omnia feramus. Luc. 21. 19. Per tolerantiam vestram possidete animas vestras. Tertius ut de perseverantiæ dono certi simus, nam qui credimus vitam æternam nobis datum iri, fieri non potest, ut gratia excidamus: qui enim cœpit in nobis bonum opus idem perficiet: Phil. 1. 6. Persuasum habens hoc ipsum fore, ut qui cœpit in vobis opus bonum perficiat usque ad diem Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto sit laus, & gloria in omnem perennitatem. Amen.

De Iustificatione.

MVlta diximus suprà de fructu fidei in singula symboli capita: verùm, quo res plenius intelligatur, cùm hæc omnia crediderimus, quid inde ad nos redeat utilitatis, disserendum erit. Et ut rem paucis complectar, hæc summa est, credentes in Christum Iesum justos esse coram Deo, & vitæ æternæ hæredes. Quærendum itaque primùm quænam illa sit justitia, qua donati vitam æternam adipiscimur: deinde justificationis modus, ac ratio exponatur. Est autem justitia illa non humana, sed Dei, non propria, sed ea, quæ per fidem est Christi. Sic Apostolus describit Phil. 3. 8. 9. Omnia duco pro stercoribus, ut Christũ lucrifaciam, & comperiar in eo, non habens meam justitiam, quæ est ex lege: sed eam, quæ per fidem est Christi, id est, justitiam, quæ est ex Deo per fidem. Et Rom. 10. 3. Nam ignorantes Dei justitiam, & propriam justitiam studentes constituere, justitiæ Dei non fuerint subjecti. Ex quibus locis illud manifestè intelligi potest justitiam, qua nos justi coram Deo constituimur à nostris viribus non proficisci, sed unius Dei gratia per fidem nobis imputari, veréque donari, quæ ideò fidei justitia dicitur, quod fide, velut unico instrumento apprehendatur, nobisque applicetur. Iustitiam enim

Quæ sit illa justitia qua justificamur coram Deo.

enim Dei vocat Apostolus obedientiam Christi ad mortem usq; crucis, & satisfactionem illius mortem pro nobis omnibus gustantis plenissimè præstitam, qua unà justi constituimur, coram Deo. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituentur multi. Rom. 5.9. Antithesis verò justitiæ humanæ & propriæ, quæ & legis dicitur, quam homo propriis viribus acquirere conatur, per opera legè præcepta, id perspicuè demonstrat. Legis enim justitia seu humana, & justitia Dei è regione adversantur. Nam qui propriam justitiam student constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti, id est, ea non acquiescunt, nec sola posse nos salutem consequi arbitrantur: Hæc autem Dei, & fidei iustitia, si præstationem spectes, aliena est. sin verò imputationem & illius, per fidem applicationem, tam verè Christi mortem pro nobis gustantis, & pro peccatis nostris plenissimè satisfacientis, obedientia & satisfactio nostra est, quàm si nos ipsi præstitissemus: Nam iustitia illa, qua justi censemur coram Deo, Christo ita propriè subiecto inhæret, ut nostra solùm imputatione fiat. Fecit enim Deus, ut qui non novit peccatum, pro nobis peccatum esset ut nos efficeremur iustitia Dei in eo. 2 Cor. 5.21. Quæ sic exponi debent, ut intelligamus Deum fecisse Christum peccatorem imputando illi nostra peccata: vt nos fieremus iustitia in illo, dum efficimur justi per imputationem passionis illius. Iustitia igitur operum à salutis nostræ causis planè rejicitur, ut sola fidei iustitia locum habeat. Deinceps iustitiæ huius applicandæ rationem, id est, hominis peccatoris iustificationem videamus, ubi priùs verbi ambiguitas sublata erit. Iustificandi enim verbum variis modis sumitur in scripturis sanctis. Primùm significat vox iustum facere sierive. Epist. Paul. ad Rom. cap. 4. vers. 5. Ei verò, qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam. Sic

Deus

Deus impium iustum facit per iustitiæ imputationem, quatenus nimirum iustitiam imputat, seu (quod idem valet) quatenus ei non imputat peccata: sed remittit, atque condonat: sicut ipse Apostolus ex Psalm. 32. vers. 2. interpretatur. David, inquit, declarat beatum eum hominem, cui Deus imputat iustitiam absque operibus, beati sunt, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata. Secundò iustum pronunciare, censere, & à reatu peccati, & pœna absolvere. Rom. cap 8. vers. 33. Quis accusabit electos Dei? Deus est is, qui iustificat: quis est qui condemnet? Cùm verò hoc loco iustificationi opponatur condemnatio, sequitur necessariò iustificare idem esse, quod coram Dei tribunali hominem à peccati culpa & reatu absolvere. Eodem sensu Proverb. cap. 17. vers. 15. Alio prorsus sensu Abrahamus, Iac. cap. 2. Operibus iustificatus dicitur, id est, iustus declaratus: opera enim bona, ut fructus arborem, veram fidem arguunt & demonstrant. Quo sensu Christum Spiritu justificatum fuisse legimus. 1. Epist. ad Timoth. cap. 3. vers. 16. Est autem iustificatio, de qua agitur, Dei actio, qua gratis ex sua misericordia iustitiam imputat natura Filio iræ, credenti solùm per redemptionem factam in Iesu Christo ad demonstrandam iustitiam suam. Est enim Dei actio, ut testatur Apostolus Epist. ad Romanos cap. 8. vers. 33. Deus est is, qui iustificat, quis est qui condemnet? Et gratis, Epistola Paul. ad Romanos cap. 3. vers. 23. & vers. 24. Omnes peccaverunt, ac deficiuntur Dei gloria, ut qui iustificentur gratis, id est, eius gratia, per redemptionem factam in Iesu Christo: Atque hic iustificandi modus est, quo pretium, & merita operum à salutis nostræ causis planè removentur. Quod ex primaria etiam impellente causa clarè intelligitur. Deus enim sua unius misericordia nos servat. Epistola Pauli ad Titum cap. 3. versu. 4. & versu. 5. Postquam bonitas

Quid sit iustificatio

erga homines amor apparuit Servatoris nostri Dei, non ex operibus justis, quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia servavit nos. Disertè Deum imputare justitiam scribit Apostolus. Rom. 4. 5. 6. Ei verò qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam, sicut etiam David declarat cum hominem beatum, cui Deus imputat justitiam absque operibus. Nam solus Deus remittit peccata nostra, & obedientiam, ac satisfactionem à Filio suo pro peccatis nostris præstitam, nobis imputat, ut illius obedientia Christi imputatione justi coram Deo constituamur. Natura verò nos peccatores, & iræ filios esse multa docent scripturæ testimonia, Rom. 3. 23. Et 11. 32. Conclusit enim Deus omnes illos in contumacia, ut omnium illorum misereatur. Ephes. 2. 3. Eramusque filii iræ, ut etiam reliqui. Nulla igitur præparatio nostri, aut dispositio esse potest ad consequendum salutem, donec mentem & voluntatem nostram Dei gratia præveniat, immutet. Ex parte verò nostra fides instrumentum illud est, quo donatam Dei justitiam apprehendimus, & Christum nobis applicamus: quem posuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius. Rom. 3. 25. & infrà 28. Colligimus igitur fide justificari hominem absque operibus legis Ioh. 6. 40. Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, ut omnis qui conspicit filium, & credit in eum habeat vitam æternam, & suscitem ipsum ego in ultimo illo die. Sola fide seu credentem solum justificari dicimus, ut ne ipsius fidei merito justitiam nos consequi statuamus, sed unius Christi pœnas nostris peccatis debitas luentis satisfactione justitiam, & vitam æternam nobis partam esse credamus: fides enim nihil meretur, sed Christi meritum, & justitiam, ut instrumentum nobis applicat. Nam Dei donum est, quemadmodum ipsa justitia gratis imputata. Ephes. 2. 8. Gratia etiam estis servati per fidem (& hoc non est ex vobis, Dei donum est) non ex operibus, ne quis glorietur. Phil. 1. 29. Gratis datum est vobis

vobis in Christi negotio, non solùm in eum credere, sed etiam pro eo pati, Etsi vox (sola) in scripturis non reperiatur, rem tamen ipsam, & quod eam tam perspicuè notet, invenias. Non enim aliud illa sonant. Rom. 3. Iustificamur *dorean. charitis choris ergon.* Et Luc. 8. 50. Profecto synagogæ, cuius mortua fuit filia, respondit Christus. Ne metue, crede solummodò, & servabitur. Mar. 5. 36. *Monon pisteye.* Basilius homilia de humilitate. Nam ea demum perfecta, & omnimoda gloriatio est in Deo, quando non propter suam ipsius quis iustitiam extollitur, sed agnoscit se quidem vera destitui iustitia, verùm sola in Christum fide iustificationem sufficere dicit. Rom. lib. 3. cap. 3. Ambrosius in Epist. ad Romanos, dicit Abrahamum sola fide iustificatum, & impium per solam fidem iustificari apud Deum. Nihil igitur novi excogitatum ab instauratæ Ecclesiæ doctoribus in doctrina de hominis justificatione, quod improbè clamitant Pontificii. Proxima causa, eaque externa, quæ veluti materia est nostræ iustitiæ, est redemptio facta in Iesu Christo, seu satisfactio pro peccatis nostris ab illo præstita, per quam nobis imputatam iustificamur. Rom. 3. 23. 24. Col. 1. Deus eripuit nos è potestate tenebrarum ac transtulit in regnum Filii sui dilecti, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, id est, remissionem peccatorum. Redemptionem vocat satisfactionem, quâ mortem pro nobis gustando præstitit, metonymia effecti. Nam Christus sua morte, & pretioso sanguine nos à peccato, morte, & inferis redemit. Remissionem autem peccatorum interpretatur, quia hæc redemptio seu satisfactio credenti, affert & remissionem peccatorum & iustitiæ imputationem: finis denique nostræ iustificationis Dei gloria est, ut quam sit verax, & constans in promissis præstandis agnoscatur, & laudetur. Quem Iesum proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius ad demonstrandam iustitiam suam.

nes,

Rom. 3. 25. Si verò causas nostræ iustificationis omnes expendas, si luculenta Scripturæ testimonia examines, non inhærente justitia coram Deo, sed illa solùm Christi imputata, justificari hominem statues. Verùm hæc sola fide apprehensa consistere non potest, sine inchoata, & illa inhærente justitia, quæ tamen salutis causa non est, sed ad salutem, & vitam beatam via, de qua postea dicendum erit.

FINIS.

IN

Matth. 28. vers. 18. 19. 20.

18 Et cùm accessisset ad eos Iesus, loquutus est eis, dicens, Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.
19 Profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.
20 Docentes eos servare omnia, quæ mandavi vobis: & ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem sæculi. Amen.

Idem, de quæ diximus Evangelij prædicatione gignit Spiritus sanctus, & sacramentorum usu confirmat, ac tuetur. Quæ paucis, exposita Evangelij summa Symbolo comprehensa, de Sacramentis, altero Spiritus sancti instrumento dicemus: ac primùm breviter de Sacramentis in genere, postea sigillatim de Baptismo, & Cœna Domini agemus. Etsi sacramenti nomen, quod Græci *mysterion* vocant, in Dei verbo non reperiatur, tamen cùm non temerè, sed docendi gratia usurpetur, & res ipsa necessariò sit exprimenda, nihil Interpretes Dei verbo adjecisse existimandum est. Latini hanc vocem mutuati videntur à militari sacramento, siue jurejurando, quo milites Reipubl.

pri-

primùm, deinde Cæsari præscripta formula, & adhibito solenni ritu obstringebantur. Vnde metonymia subiecti sacramenti nomen ad significandum adiunctas illas cæremonias, & sacros ritus, quibus milites se consecrabant, translatum est. Sunt autem sacramenta Christianis sacra, & in oculos incurrentia signa, ac sigilla, à Deo instituta, ad declarandum magis, & obsignandum Evangelii promissionem, quod scilicet credentibus propter unicum illud Christi sacrificium in cruce peractum gratis donet remissionem peccatorum, & vitam æternam. Signa appellamus, quia præter speciem, quam ingerunt sensibus, aliud aliquid ex se faciant in cogitationem venire, ut signum definit Augustinus cap. 1. Lib. 2. de Doctrina Christiana. Sic aqua in baptismi usu considerata, præter speciem aquæ, quam oculis exhibet, animis repræsentat Christi sanguinem, quo peccata nostra sunt abluta. Sigilla autem dicuntur, quia non tantùm significant, ut signa, sed etiam confirmant, et obsignant id, quod in Evang. promittitur. Ro. 4. 11. Et signum accepit circumcisionis sigillũ iustitiæ fide receptæ in præputio: cum enim Deo promittenti credidisset Abrahamus, id illi ad iustitiam imputatum fuit, postea verò adhibitum est sigillum circumcisionis, quo iustitia fide recepta obsignaretur. Sacra vocamus, tum quia sunt à Deo instituta, tum in sacrum usum: neque enim naturali sui, neque miraculo res illę naturales fiunt sacramenta: sed Dei solius ordinatione, quæ verbis ipsius exprimitur. In oculos autem incurrentia vocantur, quia sicut audiendi sensus administer & internuncius est, qui in mentem deferat promissionem Evangelij prædicatam: ita visus rem eandem sacramentis & visibilibus signis repræsentatam imprimit animo magis, ac penitus obsignat. A Deo instituta dicimus, quia solus ille authoritatem habet instituendi sacramenta. Est enim instituere sacramentũ certum Ecclesiæ ritum præcipere ad gratiæ promissionẽ obsignandũ: ut unius dei sit gratiã promittere,

& promissioni confirmandæ sigillum addere. Subjicitur in definitione ad declarandum magis, & obsignandũ, quia promissio declaratur, & illustratur plenius per analogiam, & similitudinem signorum cum rebus, quæ per ea significantur. Est enim rei illustrandæ magna vis in similitudine posita. Et August. Epist. 23. Nisi, inquit, sacramenta similitudinem quandam haberent earum rerum, quas significant, utique sacramenta non essent. Ex quibus naturam, & vim sacramentorum ab iis planè tolli videmus, qui in cœnam Domini panis & vini Transubstantiationem invehunt. Sublata enim panis, & vini substantia, qua una naturaliter corpus alitur, perit omnis similitudo sacramenti, ac proinde ipsius vis & natura. Sive autem verbo nos Deus alloquitur, sive adhibet signa, æquè semper est verax, verumtamen certos magis de voluntate sua nos reddit sacramentorum usu, quia sigilla sunt, & pignora promissioni addita. Est enim obsignatio per sacramenta facta efficacior promissionis applicatio per fidei incrementum, quod fit legitimo sacramentorum usu, vnde fines sacramentorum facilè possint intelligi. Primus autem, & præcipuus est obsignatio gratuitæ promissionis, & fidei nostræ confirmatio. Secundus, testificatio obedientiæ nostræ, & grati animi: solenni enim sacramentorum usu ad vni Deo serviendum, & eum colendum sanctè nos obstringimus, eumque salutem illi acceptam referamus, ultrò benignitatem agnoscentes celebraturos perpetuò gratis animis profitemur. Tertius, discretio Ecclesiæ ab aliis sectis, nam sactis his ritibus divinitus institutis Deum verum, ex ipsius voluntatis præscripto colere, omnem verò idololatriam, & superstitionem nos fugere, ac odisse testatum facimus. Quartus, ut sint vinculum dilectionis mutuæ inter membra Ecclesiæ. Nam qui cum Deo sunt consœderati, etiam inter se consœderatos esse oportet, & qui de eadem Domini mensa participant, ij se unius Dei domesticos, & veraes esse testantur. 1. Cor. 10. 17

Quo-

Quoniam unus est panis, unum corpus (nos illi) multi sumus: nam omnes ex uno illo pane participamus.

De numero Sacramentorum Novi fœderis.

DVo tantum sunt novi fœderis sacramenta: nam plura non legimus à Christo instituta, quorum perpetuus usus, & universalis est in Ecclesia Christiana, nimirum Baptismus & Cœna Domini. Hunc numerum agnoscunt, & probant Augustinus & Ambrosius. De baptismo igitur primùm dicamus, ubi Apostolis legationem à Christo datam explicaverimus. Ea autem ab Evangelistis exponitur. Matth. cap. 28. vers. 18. 19. 20. Mar. cap. 16. vers. 15. 16. Matthæus ubi locum notavit quo Christus ex mortuis suscitatus venit ex prædictione ab angelo facta Mariæ Magdalene, & alteri Mariæ Iacobi matri. Apostolorum legationem nanq; primùm quo pacto Christus de sua legandi potestate, & iure sit præfatus vers. 18. Deinde mandata dat sunt vers. 19. unum ut doceant Evangelium, & prædicent omni creaturæ: alterum ut credentes, & Evangelium professos baptizent. Postremò vers. 20. plenius exponit quid docere debeant, confirmat eorum animos à promissione præsentiæ suæ potentis, & gratiosæ perpetuæ & ipsis Apostolis, & eorum successoribus in Ecclesia legitimè vocatis in finem sæculorum affuturæ, ut alacres munus suum obeant.

18 *Et accedens Iesus*) Sæpius antea, ut alij narrant Evangelistæ, discipulis suis Christus se patefecit multis certissimis signis, dicens quę ad regnum Dei spectant. Ioh. 20. 19. & 26. cap. 21. 1. Nunc tandem accedit sublatis ipsis omni dubitatione de resurrectione ipsius, & docet quid tum ab iis, tum ab eorũ successoribus in Ecclesia usq; ad consummationẽ sęculi velit fieri. Et quia arduum & multis molestiis, et periculis obnoxiũ munus obeundũ fuit, sibi datam esse omnem jubendi, & imperandi au-

thę-

thoritatem & in cœlo, & in terra præfatur, qua non solum Apostolos in universum terrarum orbem legat ad Evangelium regni prædicandum, sed etiam semper suos tuetur, & protegit, potentiq; Spiritus operatione eorum ministerium in colligenda Ecclesia reddit efficax. Est enim hæc potestas, quæ Christo à mortuis suscitato tributa est jus, & authoritas summa cum potentia conjuncta Ecclesiæ Dei regendæ doctrinam fidei, & morum tradendi, sacrum ministerium ordinandi, denique suorũ ministerio cœlos ipsos aperiendi, ut promissionẽ Evangelij vera fide amplexi, & seriò resipiscentes cœlestis regni fiant hæredes. Quam verò ampla sit hæc potestas ostendit primùm universi generis nota, ait enim omnem sibi datam esse potestatem, ut ab unius Christi & Domini jubentis authoritate necessariò sit pendendum, & unum regem agnoscamus, & revereamur. Ille enim non ut famulus, sed ut Filius domui suæ præest, cujus domus nos sumus. Heb. 3. 6 Quæ additur distributio potestatis, ex subjecto loco eodem pertinet. Nam habet Christus potestatem, qua transferat ex potestate tenebrarum, quos efficaciter verbi sui prædicatione vocat in cœleste regnum, & illis æterna vita frui in cœlis secum largiatur. Ioh. 17. 2. Præfractos verò & contumaces cœlo longè arceat, & æternis pœnis addicat. In terris autem docet, consolatur, fovet, regit, ac tuetur Ecclesiam suam. Datam fuisse sibi authoritatem etiam judicium exercendi quatenus filius hominis est, dixit, Iohan. cap. 5. versus 27. Et authoritatem ei dedit (Pater) etiam judicium exercendi quatenus filius hominis est. Verùm hoc loco nunc se tandem potestatem illam exercere, & deincepsin colligenda, & regenda Ecclesia patefactum testatur, ut pij unicum Dominum, ac regem potentissimum & clementissimum agnoscant, & colant: impij verò severissimum judicem metuant & horrent.

Aphorismi. 1. ex versu 18.

1 Christus è terris in cœlum migraturus sacrum ministerium constituit, quo sibi Ecclesiam in terris colligat & regat. Ex quo apparet, quam sollicitè sponsę suę quæ est Ecclesia Dei vivi salutem procuret, & quam constanti amore prosequatur. Id simili modo solennis illa precatio. Ioh. 17. 20. testatur. Non tantùm autem pro istis rogo, sed & pro ijs, qui per sermonem eorum credituri sunt in me.

2 Sacrum ministerium non humana sed divina solùm authoritate nititur, ut principes, reges, magistratus omnes non præscribere in Dei cultu, sed abunius summi regis Christi, ac Domini voluntate pendere, & ut fiat, quod ille jubet, efficere debeant: sunt enim Dei ministri. Rom. 13. 4.

3 Si authorem ministerij respicimus intrepidè legatio erit obeunda. Ille suis adest, vires suffic it, regit, tutur. Matt. 10. 19. Sed cum tradiderint vos, ne estote solliciti, quo modo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis illo momento, quod loquamini. Ioh. 14. 18. Non relinquam vos orbos. 1. Cor. 10. 13.

4 Cum sacri administri legitimè vocati a Deo mittantur, eorum prædicationi reverenter nobis auscultandum est, & ex Dei verbo, & mandatis ipsius jubentibus necessariò parendum, nisi Dei imperium, & authoritatem rejicere nequiter audeamus. Nam qui dedit Apostolos, Prophetas, Evangelistas initio ad promulgandum ubique Evangelium regni, idem Pastores & Doctores, dedit ad coagmentationem sanctorum ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi. Ephes. cap. 4. 11. 12.

19 *Profecti ergo*) Mandata ex superiori præfatione de sua legandi potestate velut consectaria colligit, primùm in hanc sententiam, Ego in omni Ecclesiæ administratione summam, adeoq; omnem obtineo jubendi potestatem, & vos mihi advocavi testes, quos ad sacrum mi-

ministerium destinauit, idcirco profecti docete omnes gentes. Mandato priore duæ actiones præcipiuntur, una ut proficiscantur, quæ plenius à Marco cap. 16. ver. 15. exponitur, nimirum ut proficiscantur in universum mundum, sic amplissimum fore regni sui, & Ecclesiæ domicilium ostendit: priùs enim angustis terræ Chananææ finibus ante Christi aduentum Ecclesiæ sedes terminata fuit, nunc ad ultimas orbis terrarum plagas proferendam longè latèque indicat. Sicut à Prophetis fuit prædictum. Dauid Psal. 2. 8. Pete à me, & dabo gentes in possessionem tuam & fines terræ jus possessionis tuæ, & Psal. 72. 8. Et dominabitur à mari uno ad alterum, & à flumine usque ad fines terræ. Denique incurvabunt se honorem exhibentes ei omnes reges, omnes gentes seruient ei. Id etiam Christus ipse prædixit futurum supra cap. 24. vers. 14. Et prædicabitur istud Evangelium regni in toto terrarum orbe, ut sit testimonio omnibus gentibus. Quam verò exoptandum est humano generi, ut ubivis gentium Christi regnum constituatur, tam nobis dolendum amplissimum illud aliquando, in sedem maximè angustam redigi, & mereri nostra peccata, quod penè accidit superioribus aliquot sæculis, ut funditus everteretur. Quod autem Apostolas ad ultimos terræ fines legat, quam grave munus, molestum, & periculis obnoxium mandet iis, perspicuum est: illi tamen fidelissimè susceptum expleverunt. Vnde sancta illa Pauli in Hispaniam cogitantis gloriatio, quod virtute Spiritus Dei fretus ab Hierusalem, & circumjacentibus regionibus usque ad Illyricum impleverit prædicandi Evangelij Christi munus, de carceribus autem, mortibus, gravibus & multis periculis, & ærumnis copiosè agit. 2. Cor. 11. Altera actio est docere. Docete, itaquit, omnes gentes. Iis docendi munus tribuit, ut se non ad otium, sed negotium exequendum vocari sciant. Quid autem ab iis prædicari velit Evangelij nomine indicat, quod ipso interprete. Lucæ 24. 45. 47. com-

plectitur prædicationem resipiscentiæ, & remissionis peccatorum: ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, et resurgere à mortuis tertio die, et prædicari nomine eius resipiscentiam, & remissionem peccatorum apud omnes gentes, incipiendo ab urbe Hierosolymorum. Matthæ. sequenti versu, vocat omnia, quæ suis mandaverat Christus. Et Paulus Act. 20. 27 omne Dei consilium. Non enim, inquit, subterfugi, quo minùs annunciarem vobis omne Dei consilium. Hæc est illa doctrina, quam à Christo traditam, ab Apostolis fideliter annunciatam, & literis consignatam recipere debet Ecclesia, ut si quis veniat & hanc doctrinā non afferat, non sit recipiendus. 2. Ioh. 10. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipite eum domum, nec ave ei dicite.

Profecti docete omnes. Subjungit, quos debeant docere, omnes nimirum gentes. Hactenus ex posteris Abrahæ peculiarem populum, & Ecclesiam sibi collegit Deus, nunc ex promissione de gentium vocatione facta mittit Christus Apostolos, qui ex omni tribu, & populo, & natione Evangelij prædicatione Ecclesiam electam colligat. Esai. 55. En testem nationum constituti eum, antecessorem, & præceptorem nationum. Marcus prædicandum esse omni creaturæ Evangelium interpretatus est enim tam gentibus quibuslibet, quam Iudæis, qui credunt, potentia Dei ad salutem.

Baptizantes. Alterum mandatum est, ut doctrinam Evangelij, remissionē peccatorum, fidem et Evangelium profitentibus, baptismi sacramento obsignent. Significat autem *Baptizein* aquæ immergere, aut eam aspergendo metonymia causæ pro abluere usurpatur. nam alterovis modo adhibeatur aqua, fit ablutio. Luc. 11. 38. Pharisæus admiratur, quod Christus *ou proton ebaptisthe pro tou ariston.* Et Mar. 7. 4. Pharisæi *eanme baptisontai, ouc esthiousi.* Baptizare verò hoc loco est adhibita ablutione aquæ homines ad Ecclesiam pertinentes certos reddere tam verè Christi ipsius sanguine, & Spiritu ab omni-

omnibus eorum peccatis, quæ sunt animæ sordes lavari: quàm ablutione aquæ, corporis sordes expurgantur. In nomen Patris, Filii, & Spiritus sancti baptizare primùm significat testificari baptizatum in gratiam recipi, & remissionem peccatorum consequi à Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto, cujus rei divinum testimonium sit baptismus; Secundò consecrare, & obstringere baptizatum ad cultum veri Dei, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, in quem unum credat, in quo uno fiduciam collocet, quem invocet, & omni animi obsequio colat, amet, & veneretur. Definitione baptismi res erit magis aperta: est autem baptismus, sacramentum novi testamenti, quo homines ad Ecclesiam pertinentes ex mandato Christi ablutione aquæ in remissione peccatorum, ac spe vitæ æternę confirmantur, & cultui veri Dei, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus per ministros verbi consecrantur. Genus ipsum sacramentum quid sit, supra explicavimus. Quia verò baptismus novi testamenti est, distinguitur ab omni veteri testamenti ablutione, quæ rei futuræ signum fuit. Hebræ. cap 10. vers 13 cum vers 10. cap. 6 conferatur. Novum enim testamentum, cujus sigillum est baptismus, promittit credenti in Christum exhibitum remissionem peccatorum, justitiam, et vitam æternam. Sunt autem baptizandi ad Ecclesiam pertinentes, qui fœdere comprehenduntur: iis enim facta est fœderis promissio fide recipiendæ. Ero Deus tuus & seminis tui: quibus sigillum fœderis baptismus promissioni obsignandę institutus denegari nullo modo debet. Cum igitur tam semen & liberi, quàm ipsorum parentes exhibere possint fœderis tabulas, quo ipsi comprehenduntur, infantes fidelium parentum non minùs, quàm adulti fidem rectam professi baptismo sunt initiandi, præsertim cum nati altero parente fideli sint sancti. 1. Corinth. cap. 7. vers. 14. Et in Ecclesia Christiana baptismus signum sit initiationis, quo in Ecclesiæ

coaptamur societatem, ut Christo insiti per fidem inter filios Dei censeamur, & eandem rationem habeat, quam olim circumcisio in veteri Ecclesia. Ex mandato Christi administratur baptismus: ille enim Apostolis, & eorum successionibus legitimè in Ecclesia vocatis mandat, ut solum Evangelium regni prædicent, sed etiam gratuitam salutis promissionem baptismo obsignent, ut vis tamen baptismi neque pendeat ab ulla administri dignitate, neque ab elemento aquæ, cui certo verborum murmure virtus aliqua sit indita, sed ab uno authore illius Christo externi signi effectum conferente, ut liberatos nos ab omni peccati reatu & pœna, Christi sanguine plene persuasum habeamus, & Dei Spiritu renovati peccato mori, & justitiæ vivere incipiamus. Adjecimus in definitione (ablutione aquæ) ubi aqua primum Christi sanguinem repræsentat: deinde virtutem Spiritus sancti in credentibus operantis, inter quæ analogia & similitudo perspicua est. Quemadmodum enim corporis sordes & maculæ expurgantur aqua, ita animæ sordes, quæ sunt peccata, Christi sanguine eluuntur. 1. Joh. 1. 7. Et sicut aqua paulatim sordes corporis lavantur, ita vi Spiritus sancti nativa labes & corruptio sensim in nobis extinguitur, ut non sit plane efficax ad pravos motus, & cupiditates ciendum, ut regnum obtineat, & corruptionem naturæ nostræ subacta novum robur nobis inspiretur, recteque intelligere, & probare quæ prius pro stultitia debebamus, & peccatum fugere, ac justitiam amplecti valemus. Rom. 6. 4. Sepulti sumus igitur una cum eo per baptismum in mortem, ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos nova vita ambulemus. Sicut enim habemus communionem cum Christo mortuo, cujus rei divinum testimonium est baptismus, ut peccato moriamur virtute Spiritus Dei freti, quam Christus sua morte nobis peperit: ita cum Christo à mortuis suscitato in gloriam Patris communionem habemus, ut illius Spiritu donati novæ vitæ, &

justitiæ studio ducantur. Ablutio autem efficacem per Spiritum sanctum rerum significatarum, nempe sanguinis Christi pro nobis in remissionem peccatorum fusi, & gratiæ regenerantis adeòque ipsius Christi fide apprehensi, mentibus nostris applicationem significat: Qua fit, ut quicunque in Christum baptizati sumus, Christo simus induti. Gal. 3.27. Sequuntur baptismi duo præcipui fines: prior ut in fide remissionis peccatorum, ac spe vitæ æternæ nos confirmet. Ablutio enim aquæ baptizatis in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti non minus certò, testificatur eos à peccatis omnibus lavari sanguine Christi, quàm aqua extrinsecus sordes corporis expurgantur. 1. Cor. 6. 11. hæc eratis unusquisque, sed abluti estis. Act. 2. 38. Baptizetur unusquisque vestrum in nomen Jesu Christi in remissionem peccatorum, & cap. 22. 11. Surgens baptizator, & abluitor à peccatis tuis, hoc est, baptizator ad confirmandum fidem remissionis peccatorum, quòd abluta sint peccata tua sanguine Christi, qui unus pro nobis crucifixus aqua illa est, quæ nos purgat ab omni peccato. Nam baptismus nostræ purgationis symbolum est, instar signati diplomatis, quo Deus nobis confirmat peccata nostra omnia sic deleta, inducta, obliterata esse, ut nunquam in conspectum suum veniant, nec imputentur nobis. Alter finis est, ut cultui veri Dei, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, obstricti vitam sanctè, ac inculpatè instituamus, ut in Deum illum verum credentes, eum castè invocemus, in eo omnem fiduciam & expectationem collocantes, puro animi obsequio veneremur: sobriè, temperanter, justè vitam transigentes, quæ proximo debentur officia, præstemus. Si verò baptismi symbolo in Dei familiam coaptamur, & ad cultum illius, & venerationem consecramur, nobis etiam tessera est, qua ab aliis omnibus sectis sejungimur, & ut ea moniti discamus locum Filiorum Dei tueri, in quem solius Dei beneficio evecti sumus.

Aphorismi ex versu 19.

1 Observandū Apostolis peculiare fuisse immediate à Christo vocari, qui per universū terrarum orbē Ecclesias cōstituerent, & Dei Spiritu acti in veritatis doctrina nullo modo errarent: At illa omnibus in Ecclesia legitimè vocatis ad annunciandum Evangeliū regni cōmunia, fideliter Evangeliū prędicare, sacramenta puris ritibus divinitus institutis administrare, disciplina Dei verbo pręstitura vigilāter Ecclesiā regere, cura, labor, sollicitudo, vigilię, magna in rebꝰ, quę sępe sunt adversę, tolerātia, preces assiduæ, ut sacro munere benè fungi, ac defungi possint.

2 Admiremur Dei summè misericordis bonitatem, qui ultimis temporibus salutis, & vitæ æternæ in Christo consequendæ nuntium præferre voluit ad gentes quasque etiam remotissimas, idololatriæ & superstitionum sordibus demersas, quę alioqui perituræ vitam Dei gratia consequerentur, & rectè beneficium in nos ipsos collatum expendentes grati simus.

3 Christus docendi Evangelium munus Apostolis suis injungit, idem Apostoli suis successoribus etiam atq; etiam mandant. 2. Timoth. 4. 2. Act. 20. 28. & deinceps. Ergo Pontifex Romanus & tota illa turba mutorum canum nullum vere jus habent Pastorum in Ecclesia Dei: Mitto eorum imperia superba satis, & dominationem, quæ à gentium principibus usurparentur, & à quibus Apostoli, & eorū veri successores prorsus abstinerent. Suprà. 20. c. 25. Ex quibus manifestum est ne umbrā apostolicę successionis in illis malè rasis capitibꝰ conspici.

4 Cum Sophistæ & impostores in docendo sæpe jactent studium suum, illud diligenter animadvertendum, si omne Dei consilium annuncient, Evangelium regni prædicent, & quæ mandauerat ipse Christus omnia servare Ecclesiam doceant. Nam ut scribit Hieronymus in Ieremiā perdunt oves pastores, qui docent hæresin, nec sunt audiendi, qui doctrinā veritatis propheticis & apostolicis scriptis consignatam non afferunt, frustrà inquit

Deus

Deus me colunt docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominū Esa. 29. 13. sup. 15. 9. Ezech. 20. 18. In statutis patrum vestrorū ne ambuletis, & iura illorū ne observetis.

5 Et gentibus & Iudæis omnibus annunciandam esse Evangelij doctrinam præcipit, ex quo necessariò sequitur omnes in veritatis, quæ salutem afferat ignoratione versatos tam Iudæos quam Gentes, ut neque Iudæorum doctores, neque gentium philosophi ulla vi, aut ingeniorum acumine salutis consequendæ viam pervestigare potuerint. Dei igitur miserentis gratiam, qua nos est cōplexus agnoscamus, et gratis animis prædicemus.

6 Observanda nobis est ratio qua Deus Ecclesiā suam voluit instituī: primùm eam in doctrina Evangelij diligenter erudiendam esse præcipit: deinde doctrinæ novi fœderis sigilla jubet adhibere, ut eandem rem nos doceat & verbo, & sacramentis, videlicet unico Christi sacrificio, & satisfactione pro peccatis nostris partam esse nobis justitiam, & vitam æternam, quam fide nos apprehendimus.

7 In Baptismo unicum est signū à Christo institutum nempe aqua, cujus similitudo, quæ in purgatione posita est cum resignificata primùm rectè intelligi debet, ut ex analogia signi in oculis incurrētis, cum re significata verum sacramenti usum cognoscamus. Longè enim illi à verò aberrant, qui aquę tribuerunt peccatorū remissionē & nostrā sanctificationē, quod proprium vnius Spiritus S. ventis aquæ signo, quo certos nos reddit de gratuita remissione peccatorū, & nostri sanctificatione, nam aqua illa ritè ex Dei verbo adhibita, efficax est Dei gratiæ conferendæ instrumentum, quæ ideò sacrosancta est, quod Dei institutione sit destinata ad sacrum usum, extra quem nihil differt à communi aqua.

8 Sicut corpus immundum, nisi ablutione aquæ non solet ex purgari, ita in baptismo ablutionis nitus Christi & beneficiorum illius per Spiritum sanctum, mentibus nostris fide illustratis applicationem significā

ter ostendit. quàm verè enim video corporis labes et maculas aqua ablui, tam verè certum me reddit Spiritus. S. Christi sanguine mea peccata omnia abluta esse & remissa, ideoq; vim nativæ labis eatenus extingui, ut in me non regnet, & petulanter peccem, sed Spiritus sancti gratia efficaci donatus à peccato abhorream, justitiæq; colendæ vivere studeam.

9 Fides autem unicum est instrumentum quo Christum cum ipsius beneficiis verbo promissum, & aquæ sacramento exhibitum per Spiritum sanctum accipimus, ut Christo planè induamur, & cum eo arctissimam conjunctionem per Spiritum habeamus, quam eandem non eisdem licet signis cœna Domini obsignat.

10 Si efficax cœpit in nobis esse baptismus, tum uberrimi ex eo fructus proferentur, id est, certificatio facta nobis remissa esse peccata omnia tam præterita, quàm futura, propter unicam illam perfectam Christi satisfactionem, cuius obedientia iusti coram Deo constituti vitam æternam adipiscimur.

11 Nostri sanctificatio Christus, inquit, Iohannes validior me est, ipse baptizabit vos Spiritu sancto, et igne. Suprà cap. 3. v 11. Quibus verbis effectum baptismi uni Christo vindicat, ut illius Spiritu nostræ sordes, & peccata non secus expurgentur, ac igne solet aurum excoqui, & in illo simus nova creatura conditi ad bona opera, quæ præparavit Deus, ut in iis incederemus. 2. Cor. 5. 17 Eph. 2. 10. De baptismo igitur & Christiano nomine frustra gloriantur, qui non abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus, temperanter & iustè, & piè vivunt. Modus enim & via, qua nos Deus ad salutem adducit est regeneratio & renovatio Spiritus sancti, quam obsignat lavacrum aquæ in baptismo, ad Titum 3. 5. Nam ideò regeneratio per Spiritum facta lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus dicitur, quia aquæ lavacro renovatio illa Spiritus sancti & significatur, & animis nostris obsignatur.

FINIS

1. Cor. cap. 11. vers. 23. 24. 25.

23 Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, Dominum Iesum videlicet ea nocte qua proditus est, accepisse panem.

24 Et gratiis actis fregisse, ac dixisse, Accipite, Edite: Hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur, hoc facite ad mei commemorationem.

25 Itidem & poculum postquam cœnâ sset, dicendo, Hoc poculum est Novum illud fœdus, per meum sanguinem; Hoc facite quotiescunque biberitis ad mei commemorationem.

HActenus de Baptismo: superest de Cœna Domini disseramus. *Despnon Kyriakon*, id est, Cœna dominica appellatur supra hoc capite vers. 20. à tempore quo institura est à Christo & celebrata: ab authore autem denominatur Mensa Domini. 1. Cor. ca. 10. vers. 12. Panem verò frangere. Act. 20. 7. significat cœnam Domini celebrare. Sunt & aliæ hujus sacramenti appellationes, sed eas nos retineamus, quibus Dei Spiritus in sacris literis est usus. Quòd autem cœna Domini

sit

sit, & quos nobis fructus afferat, & illius institutione, quam Paulus hoc loco diserte exponit, perspicuè intelligetur. Illam enim causis omnibus explicatam commemorat. & administrum, Dominum verò Iesum authorem & causam efficientem esse ostendit: deinde signa sunt panis, vini, quæ materiæ rationem habent: forma autem in actionibus, & expressis Christi verbis, quæ utraq; circa panem illum & vinum illud adhibentur, posita est: finis denique est mortis Domini annunciatio

Ego enim) Abusum cœnæ Dominicæ in Ecclesia Corinthiaca superiori vers. reprehendit. Indignè enim sacri illam actionem tractabant, cum diuites in agapis illis (quæ convivia erant charitatis fovendæ causa primùm instituta, & in cœtu publico, cum cœna Domini celebraretur, adhibita) largius biberent, quàm Christianâ moderatione decebat, cõtemptis fratribus egenis, qui interea esuriebant. Quare ut factũ improbet, rationẽ affert cœnæ institutionis quam fideliter Corinthiis tradidit, sicut ipse à Domino accepit, ut ignorantiã prætexere nullo modo possint. Causam administrationis parium effectorum collatione illustrat. Paulus enim minister Iesu Christi eam celebrandæ cœnæ rationem Corinthiis tradidit quam ipse à Domino accepit. Nihil à se excogitatum, nihil ab aliis usurpatum proposuit: quod Dominus præscripsit solus tenendũ docuit, ut divinæ institutioni neque adderet quicquam, neque detraheret. Authorem cœnæ, & causam efficientẽ expressè nominat Dominum Iesum, qui ut unus Ecclesiæ suæ doctor. Mat. 23. 10. omne Dei consilium, & salutis doctrinam exposuit: ita Euangelicæ promissionis, & gratuiti fœderis obsignandi causa, solus instituendi sacramenta potestatem habet. Illum verò authorem noviste rectè, & meminisse, quoties ad mensam Domini accedimus, & ad doctrinam, & institutionem nostram plurimùm facit: Nam cum ille author sit, cui potestas omnis in cœlo & in terra data est, persuasum nobis esse potest, ac debet, quæ in

cœna Domini geruntur & nobis promittuntur, reipsa fieri, & certò nobis exhiberi, ut qui præsentem Dominum & efficaciter per Spiritum operantē sentiamus, si fide vera donati adsumus: Deinde quia in Domini nostri fūmè potenti-, qui indignè cœna illa participātes severè punit, conspectu accumbimus, reverenter veste nuptiali, id est fide vera & non simulata indutos & vero respiscētię effectu, serioq; vitę emendationis, ac justitię studio imbutos decet accedere. Procul enim Dominus à sacra illa actione profanos & canes impuros esse jubet. Quod aliquo vere religionis sensu à primæ lucis reliquis scintillis, profectò homines alioqui profani docuerunt cum nefaria misteria celebrantes clamarent, Procul, ô procul este profani. Additur temporis circumstantia videlicet Dominū Jesum ea nocte, qua proditus est &c. Noctem illam intelligit qua Pascha cum discipulis comedit, & cum iis postremò fuit. Cur verò in hanc noctem cœnæ suæ institutionem rejecit cùm aliquanto ante corporis ac sanguinis sui sacramentum instituere potuisset causæ sunt: Prima, voluit immolationis suæ tempus expectare, ut re, ipsa mox impleri in ipsius corpore cernerent apostoli, quod ille in pane illo & vino figuravit: sic finem mysterij respicit cum memoriale passionis & mortis suæ recentissima memoria cum re ip. sa conjungit, ut præcipium usum cœnæ illius esse intelligamus mortis Christi beneficium in nobis sancire. Altera est, ut paulò ante quàm pateretur, crucis suæ offensionem discipulis amoveret. Non leve scandalum iis fuit conspicere Dominum suum à scelestis hominibus tam miserè habitum, tandē crudelissimè in crucem agi. At ille instituto corporis sui & sanguinis sacramento docet corpus suum pro ipsis fractum iri, & sanguinē suum effusum, ut quàm vere cernerent oculis panem illum frangi & poculum communicari, tam certò persuasum habeant corpus eius in cruce oblatum ac fractum, sanguinem pro ipsis effusum iri. Cum igitur apostoli uberrimū

ex Domini sui passione & morte fructum essent percepturi, nihil ipsa crux illos terrere debuit quo minus Christum sequuti, in eo fiduciam collocarent. Tertia, ut coena agni Paschalis absoluta, & instituto illius loco significati, adeoque exhibiti, corporis nimirum & sanguinis sui sacramento, ostenderet usum agni paschalis cum reliquis omnibus lege præscriptis ritibus abolitum esse. Significabat autem Agnus ille mactatum à jacto mundi fundamento Dei agnum tum venturum, qui tollit peccata mundi, Ioh. 1. 29. Cùm itaque coram adsit ipsa pro peccatis oblata victima, nullus est amplius locus sacrificiis, & victimis, quæ unicam illam in remissionem peccatorum offerendam adumbrabant. Materia cœnæ externa, sunt facta illa symbola panis & vinum.

Accepit Dominus panem) Res sunt ut maximè communes, ita ad hanc vitam tuendam maximè necessariæ. Non aurum, non argentum, non pretiosos lapides signa corporis, & sanguinis sui facit, ne sensus nostri in rebus externis defigantur, & quod in scenica missæ pompa accidit à Christo pane cœlesti ad res corporeas impiè mentis veneratio transferatur. Signorum cum rebus ipsis analogia & similitudo, quæ ex ipsorum, & rerum effectis intelligitur, sic erit explicanda: Quemadmodum panis alit, sustentat, tuetur hanc vitam animalem: ita Christi corpus pro nobis fractum & acerbissimis doloribus excruciatum animæ nostræ vitam, id est, spiritualem alit, sustentat, tuetur. Est enim panis ille signum sacrosanctum corporis Domini pro nobis in mortem traditi. Et sicut vinum alit, reficit, exhilarat & confirmat cor mortale, Psalm. 104. vers. 15. sic Christi sanguis fusus in remissionem peccatorum nostrorum, vitam nostram spiritualem alit, confirmat, & exhilarat. Nam vinum illud signum est sanguinis Christi pro nobis fusi. Duobus verò symbolis spiritualis vitæ alimonia distinctè significatur, ut plenam, & perfectam animæ nostræ alimoniam in Christo pro nobis crucifixo expositam esse sta-

tuamus

amus. Christus enim in carne manifestatus peccatum & mortem abolevit morte sua, & vitæ factus est omnibus in ipsum credentibus. Ioh. 14. 6. Ego sum, inquit, via illa, & veritas illa, & vita illa. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Ille moriens satisfecit pro peccatis nostris, & reatum omnem abstulit: ille nobis remissionem peccatorum, & æternam iustitiam peperit. Ille Spiritum suum nobis donat, quo in nobis habitante per fidem arctissimè nos sibi conjungit, ut simus membra corporis eius, ex carne eius, & ex ossibus eius, cuius rei cœna Domini certissimum sigillum est, cujus usu obsignatur magis ac magis communio illa, quam habemus cum Christo capite. Quam verè enim panem & vinum symbola corporis Domini è manu ministri accepta, ore corporis percipio, tam certò penitus persuasum habeo, Christi corpus in cruce pro me oblatum, & acerbissimis dolonibus ex cruciatum, ut sanguinem pro me fusum fuisse. Deinde quem ego crucifixum fide amplector per Spiritum in me habitante animæ meæ verè cibum esse, quo pascitur ad vitam æternam. Panis & vinum animalem hanc vitã, quam fragilem accepimus, alunt, & tuentur: at Christus panis ille vivificus, & vitam dat spiritualem, & datam alit, ac in æternum tuebitur. Illud observandum signa in sacramentis, neque quoad substantiam, neque quoad qualitates, ut quantitates mutari, sed quoad finem duntaxat & usum tantisper dum celebratur sacra illa cœna. Mutatio autem panis & vini quoad usum fit divinæ institutionis forma, quæ partim actionibus, partim expressis Christi verbis exponitur, quæ circa panem & vinum adhibentur. Actiones circa panem sunt quatuor, accipere panem, gratias agere, frangere, dare discipulis. Accepit panem haud dubie azymum, quo tunc ex legis præscripto in lege paschali utebantur, itidem & vinum, quod in promptu fuit, ut formæ panis, aut vini aqua miscendi nulla sit habita ratio. Significabat autem hæc panis & vini acceptio Dominum Iesum sponte acceptu-

rum

rum passionē suam, ut scilicet corpus per panē significatū cruci affigeretur, & sanguis significatus per poculum in eadē cruce effunderetur, nisi etiam ultro sese dedisset in victimam pro peccatis nostris iram Patris in nos accensam placare non potuisset. Sequitur gratias egisse nempè Patri pro singulari ipsius in nos amore, & inæstimabili redemptionis beneficio. Hæc autem gratiarum actio super panem non prorsus sanctificabat panem illum, quia ad illius sanctificationem pertinent reliquæ etiā formæ partes. Significabat verò Christū offerre Deo Patri pro electis suis preces, quibus Patri consecratos in æternum salvos esse velit. Eas recitat. Ioh. 17. 11. 20. Pater sancte, serva eos, quos dedisti mihi, ut sint unum prout & nos. Non tantum autē pro istis rogo, sed & pro iis qui per sermonē eorū crediturī sunt in me. Vbi gratias egit, fregit panem, non solum, ut discipulis distribueret fractū sed etiam oculis subjiceret crucifixionem suam, sicut et verbis sequentibus perspicitur, ubi de pane dicit hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, quod manifestū est ex Luca, ubi pro illis verbis legimus hæc, quod pro vobis datur id est crucifigendū, aut in mortem. Quarta actio, quam exprimunt Evangelistæ nimirum (dedit,) facilè ex sequenti actione, quam imperat, ut antecedens ex consequente intelligitur. Iubet enim accipere: Ergo dare oportuit. Hæc autem datio seu deditio panis, sicut & poculi significat donationem corporis Christi crucifixi in cibum spiritualem & sanguinis Christi in crucem effusi in spirituale potum, ut ista præbitio nos reddat certos Christum nobis verè datum esse in spirituale animæ cibum, & continuò semetipsum nobis dare, ac per spiritum adhibitis, quæ id ipsum testificantur signis se nobiscum arctissimam communionem habere. Verba expressa & de pane pronunciata continent duo membra, mandatum, & doctrinam. Mandatum actiones duas imperat, quę sunt panis acceptio & esus. Iubentur discipuli panem accipere comedere, quæ nihil aliud significit

quam

quàm unumquemque fidelem per fidem Christum se offerentem in spiritualem animæ cibum magis, ac magis applicare sibi. Quemadmodum enim ore cibus recipitur & ventriculo concoquitur, ut in animalis vitæ alimoniam convertatur: ita fide Christum per spiritum se nobis applicantem amplexamur, ut illius corpore pro nobis exercitato, & sanguine in cruce fuso, id est, Christo pro nobis crucifixo alantur, confirmentur, & exhilarentur animæ nostræ, ut in externum vivant. Subjungit doctrinam his verbis (hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur) ostendit enim quid ille panis significet, & quo pacto carnis ipsius facta sit verè cibus animæ. Pronomen (hoc) ad id quod præcessit referri debet nempe ad panem quem accepit, super quo gratias egit, quem fractum dedit discipulis, & accipere, ac comedere jussit. Diserè suprà c. 10. vers. 16. exprimit Apostolus nomen panis. Panis quem frangimus nonne communio corporis Christi est.

Hoc est corpus meum] Hoc est, est signum vel figura corporis mei, ut interpretatur Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, & August. in Psalm. 3. & contra Maximianum lib. 3. cap. 22. Sacramentum corporis Christi. Theodoret. Dialog. 1. Voluit eos qui divina mysteria percipiunt, ne ad eorum, quæ videntur, naturam attendant, sed per nominum mutationem, credant illi, quæ ex gratia facta est transmutationi. Qui enim naturale corpus suum frumentum & panem vocavit, etq; item seipsum vitem nominavit, idem ipse etiam quæ videntur symbola, corporis et sanguinis sui appellatione honoravit non equidè naturâ ipsam transmutans sed adjiciens gratiam naturæ. Sic intelligit divina institutione communè panè fieri sacramentum corporis Christi, *Vel id est, quod eodem recidit: pro (significat) sumitur, ut suprà ca. 10.4 Petra verò illa erat Christus, id est, significabat Christum venturum unde flumina aquæ vivæ essent promanaturæ & ab undè Spiritus S. dona in Ecclesiâ Dei effundenda. Simili modo ad Ga. 4. 15. Istud enim agar & Sina mons

in

*Exod. 12. 11. Agnus est pascha Iehovæ. id est symbolum transitus Iehovæ. Gen. 17. 10 Hoc (circumcisio) est Fœdus meum

in Arabia, id est, ista pactio quæ dicitur fœdus significat legem in Sina monte in Arabia latam. Verba illa (quod pro vobis traditur) promissionem Evangelij continent, & Christi corpus, quod verè sit cibus animæ, pro nobis crucifixum esse ostendunt. Nam Christus morte sua peccatũ & mortem sustulit, ille vita nobis est & per Spiritũ se nobis coniungit, ut non amplius ipsi vivamus, sed ille in nobis vivat, qui firmissima communione cum illo coniunctos suscitabit ultimo illo die. Ioh. 6. 61. Actiones verò, & expressa verba, quæ circa poculum adhibentur alicet verbis, & alio symbolo eandem rem significant, & docent, quæ actionibus & verbis de pane pronunciatis significata fuit. Cæterùm perspicuitatis, & attentionis, & certitudinis causa facta est repetitio, ut discipuli, adeoque fideles omnes propositam doctrinam & meliùs intelligerent, & meminissent, & diligentius ad eam attenderent, firmiùsque ei crederent. Ex analogia ad ea, quæ circa panem fiebant intelligendæ sunt actiones cum poculum, vini fusio, quæ respondet fractioni panis, acceptio poculi, gratiarum actio, quæ ab Evangelistis exprimitur, & præbitio, quarum significatio simili modo exponenda est. Expressa verba mandatum etiam, & doctrinam continent. Mandatum ex Evangelistis expendendum est, qui illud commemorant, Bibite ex hoc omnes. Bibitionem vini imperat, ut sibi per fidem Christi sanguinem in cruce effusum in vitæ spiritualis alimentum, & robur applicent singuli. Omnibus enim bibendum est, qui Christo, & in eo beata vita frui velint. Doctrina his verbis exprimitur (Hoc poculum est novum illud fœdus &c.) Lucas, ut & hoc loco Paulus, nomen poculi exprimit, quo significatur vinum poculo contentum: sicut autem panis ille fractus significat Christi corpus nobis effectum esse panem vivificum, quatenus datum est in mortem pro vita nostra: ita vinum illud sacrum docet, Christi sanguinem factum esse nobis potum vitæ æternæ, quatenus pro nobis in cruce ef-

fus.

sensu iræ Dei effusus est in remissionem peccatorum sic enim passionis dominicæ fructum Evangelistæ declarant: hoc poculum est novum fœdus in sanguine, id est, hoc vinum est signum fœderis gratiæ novi quidem respectu, fœderis antiquati, quod sancitur, & confirmatur effusione sanguinis mei. Sive vocem *diatheke* fœdus sive testamentum, quod significat propriè, veritas, perinde est: nam gratuitum fœdus, rationem habet testamenti, quia fœdus hoc sancitum et confirmatum fuit morte illius, qui ipsum pepigit nobiscum. Vnde Apostolo ad Heb. cap. 9. vers. 15. 16. 17. ut ratum fieret testamentum Dei, Christi Mediatoris mortem intercedere oportuisse demonstrat. Fœderis autem vocabulo potiùs tecddendum videtur nomen *diatheke*, quam vocabulo testamenti, quia novum veteri fœderi opponitur. Vetus enim non erat testamentum propriè loquendo, sed fœdus, & nominatur Berith, id est, fœdus. Exod. 24. vers. 8. Ecce sanguis habberith, fœderis, quod pepigit Iehova vobiscum. Evangelistæ verò retinuerunt nomen *diatheke* pro *sunt heke* ex versione bibliorum Græca, quomodo usurpatur loco illo Exodi. Verum enim verò ne fœderis novi mentio difficultatem afferat, quod sit & vetus illud, & novum videamus. Vetus dicitur temporis respectu, quia Deus illud pepigit conceptis verbis cum veteri Ecclesia. Est autem vetus, quod et legale & fœdus operum, dicitur propter annexam conditionem perfectæ obedientiæ præstandæ, fœdus, quo Deus homini sefore in Deum ad vitæ benedictionem promittit si omnia verba legis fecerit, & homo se omnia facturum propriis viribus recipit. Exod. 24. 8. Ecce sanguis illud fœderis, quod pepigit Iehova vobiscum secundum omnia verba hæc. Additur gravissima in transgressorem comminatio: Deut. 27. 26. Maledictus qui non præstiterit verba legis hujus. Eadem ad Galath. 3. 10. Exécrabilis quisquis non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Exod. 19. 8. Respondit populus.

Quicquid dixerit Iehova, faciemus, & 24. vers. 3. omnia hæc verba, quæ edixit Iehova faciemus. Arquæritur Deus Ieremiæ 31. 32. populum suum irritum fecisse fœdus illud: Ideo promittit ex misericordia fœdus novum cum populo se pacturum, ex quo cognitionem sui fidem, remissionem peccatorum, ac proinde justitiam æternam consequantur v. 34. Hoc fœdus novum obsignat Christus adhibito vino, sanguinis sui sacramento: Nam unum illud sacrum est fœdus novum in sanguine Christi, quia Christi sanguine, cujus vinum illud est signum, sancitur & confirmatur. In summa igitur fœdus novum est, quo Deus credenti promittit propter Christi obedientiam, justitiam & vitam æternam Abacuc. cap 2. vers 4. Iustus ex fide sua vivit. Marc. cap 16. ver. 16 Rom 10 vers. 10, Illud observandum fœdus hoc gratiæ patribus sub lege propositū fuisse, & multis sacrificiis obsignatum. Sacrificia enim illa Christi cum venturi vinculi sacrificium in remissionem peccatorum offerendū significabant, quo respectu vetus etiam fœdus dicitur Heb. 1 Novum vero cœpit esse, cum Christo exhibito doctrina gratuiti fœderis luculentius exposita est, & sacramentis quanvis paucioribus, tamen significantioribus confirmatum. Denique fœderati copiosa Dei gratia, & Spiritus sancti donis insolito quodam modo fuerint collocupletati. De convenientia & differimine veteris gratuiti, & fœderis novi apud alios leges plura. Superest finis, ut in Christi commemorationem ecna hæc celebretur: bis inculcatur finis, ut nostræ tarditatis admoneamur & quod præcipuum est in sacra illa actione semper in memoria habeamus, nimirum passionis, & mortis Christi recordationem, fidei nostræ fovendæ & alendæ causa. Interpretatur Apostolus versu sequenti illam commemorationem esse mortis Domini annuntiationem usque quo venerit. Verum quo res melius intelligatur primum mortem Domini annunciamus, cum palam nos credere in Christum

stum Iesum pro nobis crucifixum profitemur: secundò illius morte vitam partã esse, & spiritualiter per fidẽ nos conjunctissimam & arctissimam cum eo communionem habere: ut in nobis vivat Christus, donec Deus sit omnia in omnibus. Tertiò redemptionis nostræ beneficium, & maxima Dei dona nobis tributa gratis animis recordati agnoscimus, & pro iis gratias agimus, quantas mentes nostræ capere possunt maximas: denique charitatem fraternam: Nam si diuse colentes vitam nostram, & actiones omnes ad Dei gloriam consecramus, ut ipsius domesticos & lucis filios decet. Sic alitur fides nostra, charitatis vinculum fortiùs astringitur: & illustratur Dei gloria.

Aphorismi.

1 Ex verbis institutionis colligenda est Cœnæ Dominicæ definitio. Est autem cœna Domini sacramentum alterum novi testamenti à Domino Iesu institutum, quo tum gratis prius actis panis fracti & vini fusi præbitione & acceptione, tum panis Iesu ac vini illius potu testificatur fidelibus corpus suum pro ipsis esse fractum in cruce, sanguinemque suum pro ipsis effusum in remissionem peccatorum, ut per hanc actionem magis ac magis det iis edendum corpus suum crucifixum, & bibendum sanguinem suum effusum spiritualiter per fidem, atque ita per spiritum in ipsis habitantem se iis veriſſimè conjungat, ut de Spiritu ipsius viuant, denique per hanc vivificationem eos excitet ad gratias Deo pro redemptionis beneficio solenniter agendas. De authore & efficiente causa diximus suprà.

2 Materia panis & vinum res quidem in hac vita communes, tam sunt necessariæ, quas ideo Christus corporis & sanguinis sui signa constituit, ut summo studio operemur non cibo qui perit, sed cibo illi qui permanet in

vitam æternam. Ioh. 6. 27. Neque res corporeas nimis admirati numen iis aliquod affingamus. Quàm verò abundè nos alat cœlesti illo pane duobus vitæ huius admiculis, usus demonstrat, ut ad vitam beatam nihil desiderari possit. Magnitudine igitur divinæ largitatis commoti, à rebus corporeis per fidem ad summi boni fruitionem deducamur.

3 Signorum sanctificatio & ipsius sacramenti forma, partim actionibus, partim expressis Christi verbis continetur, quibus si quicquam vel addideris, vel detraxeris, Dei ordinationem corruperis: Ex quo intelligi potest abominandam Pontificiorum Missam nihil esse aliud, quam divinæ ordinationis profanationem.

4 Meminisse semper oportet in mensa Domini nobis dari non cibum ventris, sed mentis, ut ait Augustinus, ac proinde etiam atq; etiam videndum nobis, an fide donati ad vescendum accedamus Ioh. 35. & 63. Deinde quia mensæ summi Regis, ac Dei nostri accumbimus, seriò respiscendum, & de vitæ emendatione perpetuò meditandum nobis, ne si indignè panem illum edetimus, & vinum illud biberimus rei teneamur corporis, & sanguinis Domini. 1. Cor. 11. 27. Denique quod est grati hospitis, & servi, summam Domini beneficentiam agnoscentes perpetuò gratiarum actione redemptionis nostræ, & vitæ æternæ, ad quam spem benignè alimur, beneficium, solenni ritu, toto corde celebremus, & omnes vitæ partes & actiones ad Deum glorificandum comparemus.

FINIS.

De Resipiscentia.

Matthæi cap. 3. vers. 2. & 4. vers. 17.

Resipiscite, appropinquavit enim regnum cœlorum.

QVi sacram Domini mensam accedunt, eos de sui probatione sollicitos esse oportet, ne indignè panem illum edentes, & vinum illud bibentes rei sint corporis, & sanguinis Christi. Idcirco, ut primum de fide, de qua suprà disseruimus, quærendum fuit, sic etiam deinceps de resipiscentia, animique gratitudine dicendum erit. Quàm verò necessaria sit vitæ emendatio, docet Christus, qui eum nuntius afferretur de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrificiis ipsorum, arrepta inde occasione, turbam, quæ tum aderat, gravi comminatione ad resipiscentiam cohortatur. Luc. 13. 3. Nisi resipiscatis, omnes itidem peribitis. Eodèm pertinent, quæ legimus. Ioh. 3. 5. Nisi quis fuerit genitus ex aqua, & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. In eandem sententiam Apost. ad Galath. ca. 5. 22. Prædico vobis, sicut prædixi, eos qui talia agunt, regni Dei non fore hæredes. Resipiscentiæ tandem necessitatem indicat Iohannis Baptistæ, & Christi cohortatio, locis suprà annotatis, quę hoc enthymemate concluditur. Regnum Cœlorum appropinquauit. Ergo resipiscite; Regnum cœlorum Messiæ intelligitur, & respicit promissiones de eo venturo, quę tandem illius adventu complementum habuerunt. Est autem regnum Christi tota illa administratio Ecclesiam sibi colligentis, tum verbo suo, & sacramento-

rum usu, tum efficacissimè per Spiritum singula illius membra vocantis, & in medio inimicorum suorum potentissimè dominantis, donec credentes cœlesti regno in omnem perennitatem potiantur. Cœlorum regnum est, quia Deus illius est author. Psal. 110. ver. 1. Dixit Dominus Domino meo, sede a dexteris meis. Deinde tota illius administratio, cœlesti, & spirituali virtute perficitur: & eò pertinet, ut ad Deū electos, & regni hæredes adducat. Appropinquavit autē, cum Iohannis ministerio primū mundo luculentiùs patefactū est. Cōsequens enthymematis doctrinā resipiscentiæ continet. Deus ex promissione salutē æternā, & liberationem à diaboli potestate, peccato, et morte gratuitò offert credentibus, quare nova vita & cœlestis meditanda est. Quę omnia diserte ostendunt seriò resipiscendum esse nobis, si regni cœlestis cives esse & vita frui beata velimus. Resipiscentia ab Hebręis *Theschubah aschub*, reverti, converti dicitur. Græci *metanoian* vocant, à verbo *metanoein*, quod propriè significat post factum sapere, & de errore admisso ita dolere, ut corrigas: Itaque Petrus. Act. cap. 3. vers. 19. Cum *metanoesate* dixisset, statim subjungit, *kai epistrepsate*, ut illud explicaret. Eodem modo Act. 26. vers. 20. Vulgò latinè pœnitentia redditur. At de nomine non admodum soliciti, res ipsa quid sit, videamus. Est autem resipiscentia, seu ad Deum conversioi, immutatio mentis nostræ, ac voluntatis pravæ in bonam, à Spiritu S. per prædicationem legis & Evangelij in electis excitata, quam consequitur ex fide studium bonorum operum, & vitæ conformandæ ad omnia Dei mandāta, ad illius gloriam, & proximi ædificationem. Immutationē fieri in resipiscentibus multa docent scripturę loca. Act. 26. 18. Dixit Iesus Paulo: Nunc te mitto, ut aperias oculos eorum, & convertas eos à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum, ut remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos accipiant per fidem, quę est in me. Quò pertinent illa Eph. 4. 22. 23. 24. Depo-

nere

nere veterem hominem, renovari Spiritu mentis, indue-
renouum hominem. Hæc autem immutatio ex subjectis
melius apparet. Ac primùm Spiritu mentis renovari opor-
et: Illa enim natiua vitiositate cæca est, ut nihil eorũ vi-
deat, quæ ad salutem, vitamq; æternam consequendam
pertinent. A tenebris igitur ad lucem veritatis, & Evange-
lij convertenda erit. Deinde prava voluntas cor-
rigenda, ut cum voluptate bonum persequatur. De-
nique pravi motus, & corrupti affectus omnes depo-
nendi, ut vetere homine crucifixo cum concupiscen-
tiis suis, Dei Spiritu agamur, ne regnet peccatum in
mortali nostro corpore. Ex hac interiori mutatione
sequitur illa externarum actionum, ad quam horta-
tur Esaias. cap. 1. vers. 16. Lavate vos purificate vos,
amovete malignitatem actionum vestrarum ex aduer-
so oculorum meorum: Desinite male facere, discite be-
ne facere. Et David Psalm. 34. vers. 14. Recede à malo,
& fac bonum. Animadvertendum verò externas actio-
nes quantumvis in speciem præclaras, nisi ex pu-
ro corde, & fide non simulata proficiscantur, ab-
hominandæ hypocriseos argumenta esse. Fit autem hæc
immutatio tam interna, quàm externa à Dei solius
Spiritu. Proph. Ierem. cap. 31. vers. 18. Convertе me, ut
convertar, quia tu es Iehova Deus meus. Lament. cap.
5. vers. 20. Restitue nos Iehova tibi, ut revertamur. Act.
5. vers. 31. Hunc Deus dextera sua evectum constituit
principem, ac servatorem, ut det resipiscentiam Is-
raeli, & remissionem peccatorum: & 11. vers. 19. Nempe
etiam gentibus Deus resipiscentiam dedit ad vitam.
Quanvis igitur Deus jubeat resipiscere, & nos ad se
convertere: Item Apostolum gentes convertere à te-
nebris ad lucem, tamen à Dei Spiritu vis pendet om-
nis efficiendi, & nos ad Deum convertendi. Deus
enim efficit in nobis, & ut velimus, & efficiamus pro
gratuita sua benevolentia. Philip. cap. 2. vers. 13. Nos
autem Dei Spiritu agimur, ut impellenti pareamus:

& doctorum in Ecclesia ministerio, tanquam instrumento ad excitandum resipiscentiam Deus utitur. Ideò in definitione adjecimus per prædicationem legis & Evangelij. Primùm enim lex docet, quàm graviter Deum offenderimus: per legem cognitio peccati. Rom. 3. 20. Et quàm justè Dei ira sit in nos concepta. Vnde dolor ille, quem mundi vocat Apost. qui mortem efficit, non tam ob admissum peccatum, quàm ex mera pœna quam paratam videmus, donec ex Evangelij prædicatione didicerimus, Deum summè misericordem nobis credentibus, ac verè resipiscentibus propter unicam Christi satisfactionem peccata omnia condonare, ut eorum non recordetur amplius. Hinc dolor ille secundum Deum, qui resipiscentiam efficit ad salutem, cujus nunquam pœniteat. 2. Cor. 7. 10. Ille mundi dolor est, quem gignit pœnæ metus: hic est secundum Deum, quem excitat Dei Spiritus. Ille fit ob paratas pœnas, hic tam ob offensum Deum optimum patrē, quàm ob admissum peccatum. Ille præcipitat in desperationem, ut in Iuda manifestum est. Matt. 27. Hic efficit resipiscentiam ad salutem: etsi enim peccator verè & ex animo doleat ob peccatum, & Deum offensum, tamen ex Dei misericordia spe veniæ confirmatur: Dei enim Spiritus agnitione peccati ex lege peccantem humiliat, agnitione verò misericordiæ ex Evangelio prostratum erigit, ut in Deo miserente fiduciam collocet, peccati veniam certò expectet, & bonorum deinceps operum studio ducatur. Sed illud animadvertendum resipiscentiam Dei donum electis esse peculiare. Quamvis enim Cainū, Achabū doluisse constat; a vera tamen resipiscentia longè aberant: Cujus fructus est studium bonorum operum, & vitæ conformandæ ad omnia Dei mandata, finis verò Dei gloria, & proximi ædificatio. Matthæ. cap. 5. vers. 16. Ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, glorificentque illum Patrem vestrū, qui est in cœlis. Luc. cap. 22. 32. Christus jubet Petrum con-

conversum confirmare fratres suos. Hactenus descriptio fuit. Theologi autem, quo res melius intelligatur, duo faciunt resipiscentiæ membra: mortificationem veteris hominis, & novi vivificationem. Vetus homo est nativa hominis corruptio, & quicquid in eo Dei spiritui reluctatur. Novus autem est natura hominis quatenus ad Dei imaginem instaurata est. Mortificatio igitur nativæ corruptionis, est effectum Spiritus Christi, quo peccativis perimitur, atque ita extinguitur in nobis, ut non regnet, & cupiditates, pravique motus sic cohibentur, ut perpetuò transversos ad peccandum non rapiant. Rom. 8. 13. Sed si Spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis. Col. 3. 5. Mortificate igitur membra vestra terrestria. Idem crucifigendi verbo significat Apost. ad Gal. 5. 24. Qui enim sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus, & concupiscentiis. Rectè autem hæc abolitio nativæ pravitatis mortificatio dicitur. Nam quod viget in nobis corruptum, id lethali vulnere à Dei Spiritu accepto, concidat necesse est, & quia malum illud vires sæpe redintegrat, nova in dies divinitus virtute accepta, vigendum, & profligandum est: donec morte tandem penitus aboleatur. Ex mente primùm falsæ opiniones de Deo, illius cultu, de lege, & omni ratione vivendi sunt evolvendæ, quæ res quàm difficilè fiat, satis experientia docet: Causa tamen necessaria est, quoniam quod sapit caro, inimicitia est adversus Deum: Legi enim Dei non subiicitur: nam ne potest quidem. Rom. 8. 7. Deinde pravitas cordis corrigenda, & corrupti affectus & concupiscentiæ sunt crucifigendæ, ut malum quo delectati Deum offendebamus, fugere, odisse, ac detestari non intermittamus. Vivificatio, quæ & resurrectio novi hominis dici solet, est effectum Spiritus Christi, quo mentes primùm illustratæ veritatis cognitione incipiunt intelligere, & probare, quod antèa pro stultitia, & abhominatione ducebant. Deinde voluntas nostra eadem spiritus virtute corrigitur, & confirmatur, ut & peccatum

fugere incipiat, & iustitiam amplecti. Deniq; universæ facultates hominis, & affectus vitare, quod vetuit Dominus, & quicquid præcepit servari incipiunt, ut delectemur lege Dei, quod ad interiorem hominem. Quam verò hominis conversione delectetur Deus, Prophetæ non obscurè testantur, ut Deo nihil gratius, & acceptius à nobis proficisci possit, quàm serio dolore, & angi animo ob admissa peccata. Esai. 57. 19. Qui in sublimi & sancto habito, etiam cum eo, qui attritus est, demissusque spiritu habito, vt vivum conservem Spiritum demissorum, & vivum conseruem animum contritorum. Psal. 51. ver. 19. Sacrificia Dei sunt Spiritus fractus; animum fractum, & contritum non spernis, ô Deus.

De Bonis operibus.

Ad Ephes. cap. 2 Vers. 10. Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus, ut in ijs incederemus.

SVprà diximus conversionem illam ad Deum consequi studium bonorum operum, & uitæ conformandæ ad omnia Dei mandata. Quare, ne temere aberremus, quid sunt illa, quæ dicimus bona opera, imperfecta ne sint regenitorum, & quodam modo contaminata, an mereri aliquid possint, & quem fructum ex iis percipiamus, videndum Sunt autem bona opera, quæ secundum Dei legem ex vera fide fiunt, & ad Dei solius gloriam referuntur. Actionum humanarum, & operum tres causas complectitur definitio, formam, quæ est Dei lex efficientem, fidem, & finem, Dei gloriam: formam dixi legem, quia nullum agnoscit Deus obedientiam, aut opera bona, quæ ad legem suam omnis iustitiæ regulam, non exigantur. Ideo in lege sæpe præcipitur, observanter facienda esse Dei mandata. Et Ezech. 20. 18. 19. In statutis patrum ne ambuletis, & jura illorum ne observetis, ego sum Iehova Deus vester, in statutis meis ambulate, & jura mea observate & facite ipsa. Matth. cap. 15. vers. 9. Frustra me colunt docentes doctrinas, quæ

sunt

sunt mandata hominum. Deus igitur nulla probat opera, quæ ille verbo suo non præscripserit. Omnis itaque *ethelothreskeia*, & quæ fiunt ex bona (uti vocant) intentione opera, non ex divinæ voluntatis præscripto, sunt rejicienda. Efficiens est fides, quam Deus & gignit in animis per Spiritum sanctum, & eandem reddit efficacem, ac fœcundam bonorum operum. Quicquid verò ex fide non est, peccatum est. Rom. cap. 14. vers. 23. Atqui fieri non potest, vt sine fide quisquam placeat (Deo) Hebræ. cap. 11. vers. 6. Ex fide autem facere est certò statuere primùm, quod nos placeamus Deo propter unicam Christi satisfactionem: Deinde etiam, quod opera nostra propter eandem Christi satisfactionē, quamvis sint imperfecta, & quodam modo contaminata, Deo tamen placeant, & accepta sint, ut quicquid in iis est imperfectum, impurum ve, id imputata nobis Christi justitia tegatur, & gratuita remissione aboleatur, ne in judicium veniat. Ex quo perspicuum est opera Politicorum, & Philosophorum omnium, qui Dei spiritu regeniti non fuerunt, bona dici non debere. Quæ longè etiam à bonorum operum numero, finis rejicit: ad Dei enim gloriam omnia referri debuerunt. 1. Cor. 10. 31 Mat. 5. 16. Vbi docet Christus operum nostrorū finem esse propositum Dei gloriam. Imperfecta esse, adeoque contaminata nostra opera ex eo intelligi potest, quod sanctissimorū hominum opera admista habeant peccata, quemadmodum ipsi ingenuè fatentur. 1. Reg 8, 46 Nemo est, qui non peccet. Psal. 130. Si iniquitates observaveris, Iah Domine, quis possit consistere. Nam apud te est condonatio, vt reverenter colaris. Psal. 143. vers. 2. Ne congrediari judicio cum servo tuo, nam non esset justus coram te, vllus vivens. Et Psal. 19. Errores quis intelligat? me ab occultis absolue. Iac. 3. 2. In multis impingimus omnes. Iob. 15. vers. 3. Cœlites non sunt mundi in oculis eius, quanto magis abhominabilis, & fœtidus vir imbibens, vt aqua, iniquitatē. Esai. apertissimē c. 64. v. 10

Su-

Sumus, ut immundus omnes nos, & sicut panniculus abjectissimus omnes justitiæ nostræ, diffluimusque velut folium omnes nos, & iniquitates nostræ, ut ventus, auferunt nos. Et Apost. ad Rom 7. 19. Non enim facio bonum, quod volo, sed malum, quod nolo, hoc ago. v. 14. Miser ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis? Esaiæ locum illum Bernardus eodem modo interpretatur sermone 22. super Cantica: Nostra inquit (si qua est) humilis justitia, recta fortasitan, sed non pura, nisi fortè meliores nos credimus, quàm Patres nostros, qui non minùs veraciter, quàm humiliter aiebant, omnes justitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ mulieris. Quomodo enim pura justitia, ubi adhuc non potest abesse culpa? Nullum verò esse meritum operum facilè demonstrari potest. 1. Quia sunt imperfecta. 2. Creatura Deum sibi obligare non potest ad dandum aliquid ex debito, Rom. 11. 35. Quis prior dedit ei, & reddetur ei Mat. 20. 10. Annon licet mihi, quod volo facere in meis, Liberrima enim voluntate, & gratuito beneficio Deus & nos initio condidit, & lapsos restituit, ac servat.

3 Opera nostra sunt debita; debemus enim Creatori, ac Redemptori Deo cultum, & gratitudinem. Luc. 17. 10 Vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, nam quod debuimus facere, fecimus. Non sunt igitur merita, etsi perfecta, & planè pura reperiantur opera nostra.

4 Si opera quatenus bona non sunt nostra, sed Dei per Spiritum sanctum ea in nobis operantis, quid merita nostra jactemus Phil. 2. 13. Deus enim est, qui efficit in nobis, & ut velitis, & ut efficiatis pro gratuita sua benevolentia. 1. Cor. 4. 7. Quid habes quod non receperis? quod si etiam accepisti, quid gloriaris, quasi non receperis? ad Ephes. 2. 10. Nam ipsius sumus opus conditi in Christo Iesu ad bona opera, quæ præparavit Deus, ut in iis incederemus. Nos salutem non meritoperibus probat ex eo, quod bona nostra opera non pro-

proficiscantur ex nostris viribus, sed ex gratia Dei, qui nos ad illa condidit, id est, quasi denuo condidit, regenerando nos per Spiritum sanctum. Si igitur opera nostra sunt Dei dona, quid iis a Deo donati mereri possemus?

5 Si meritum sit operis nostri, habemus de quo gloriemur apud Deum: at falsum consequens, nam si Abrahamus ex operibus justificetur, habet quòd glorietur, at non apud Deum. 1. Cor. 1. 21. Qui gloriatur in Domino glorietur. Operanti datur merces, & justitiæ corona, sed quæ sit gratuita. Gratis enim Deus promisit, gratisque dat mercedem nobis. Bonorum autem operum vtilitas permagna est, id est, ex iis Deus glorificatur. Matth. 5. 16. 2. Bonis operibus nostram erga Deum testamur gratitudinem, vnde cohortationes illæ Rom 12. 1. Et Hebr. 13. vers. 15. 16. Per ipsum igitur assiduè offeramus Deo sacrificium laudis, id est, fructum labiorum celebrantium nomen eius. Beneficentiæ verò, & communicationis ne obliviscimini: talibus enim victimis oblectatur Deus. Nostrum cultum spirituales hostias vocat Petrus. 1. Epist. cap. 2. vers. 5. Ipsi quoque veluti ædificati fiatis domus spiritualis, sacerdotium sanctum ad offerendum spirituales hostias, acceptas Deo per Iesum Christum. 3. Nobis sunt utilia, quod nostræ fidei, ac proindè electionis æternæ sunt testimonia. Matth. 7. 17. Omnis arbor bona fert fructus bonos: putris autem arbor fert fructus putres. 2. Pet. 1. 10. ubi cohortatus est ad pietatem & in fratres charitatẽ, subjungit, quapropter fratres potiùs studete vocationem, & electionem firmam efficere: hæc enim si feceritis, nunquam impingetis. 4. Iuvatur proximus 2. Cor. 4. 15. Nam hæc omnia propter vos fiunt. Cum enim Apostolis Ecclesiarum salus esset propter eas tot tantasque calamitates perpessi sunt. Phil. 1. 24. Coarctor enim utrinque desiderio tendens ad migrationem, & ut cum Christo sim: nam id valdè multò melius: sed permanere in carne id magis necessarium est propter vos. Luc. cap. 22. Christus monet Petrum tu

ig-

igitur conversus aliquando (inquit) cõfirma fratres tuos.

De Lege Dei.

SEquitur diuinæ legis explicatio, quia omnis iustitiæ regulam esse diximus. Quid sit igitur lex Dei, quæ illius genera, & quatenus æterna, aut antiquata, dicemus. Est autem lex Dei doctrina à Deo per Moschen data populo Israelitico, quo testatus est quomodo ab iis coli vellet. *Thorah* Hebræi vocant Psal. 1 vers. 1. Et Psal. 19. 2 vers. 12. pluribus describitur. A Deo per Moschen latam fuisse ex pluribus scripturæ locis constat: Exod. cap. 19 vers. 20. Et Ioh. cap. 1. vers. 17 Cultum verò & obedientiam, quam Deus, lege sua præcipit, tum gravibus minis, tum præmiis exhibendam esse suadet, ut nihil legi suæ addi, aut detrahi patiatur. Deut. cap. 4. vers. 6. 27. 28. cap. 11. vers. 32. Vnamquamque rem, quam ego præcipio vobis, observanter facite, neque addite ei, neque detrahite ex ea. Legum verò Dei aliæ morales sunt, aliæ cæremoniales, aliæ judiciales. Rom. cap. 9. Qui sunt Israelitæ, quorum est adoptio, & gloria, & fœdera, legis constitutio, & cultus & promissiones. Morales Exod. 20. Cæremoniales Levit. Iudiciales Exod. 21. & 22. proponuntur. Sunt autem judiciales leges de jure cõtractuum, & pœnis eorum, qui deliquerint, in hunc finem latæ, ut iustitia inter cives, & tranquillitas colatur, & leges Dei à contemptu vindicentur. Cæremoniales sunt leges de Cæremoniis à Deo institutis, ad cultum ipsius externum, & ad populum erudiendum de ratione salutis suæ æternæ per Christũ tum ventura cõsequẽdæ. Morales deniq; sunt leges de moribus, seu de officiis singulorum perpetuis, tum erga Deum, tum erga hominẽ: quæ etsi passim in literis Moschis dispersæ sunt: tamen decem verbis seu Decalogo summatim continentur. Exo. 34. 24. & Deut. 10. 4. *Hhasereth haddeuarim*, id est, decẽ verba appellantur. Græci interpretes vertunt *decalogum*. Vnde lex moralis decalogi nomine significatur. Hæc autem lex Dei naturalis dicitur, quia antequam scripta

esset

esset Dei digito, & per Moschen lata, hominum mentibus fuit insita, quam Cicero. 1. de legibus, ait rationem summã esse in natura insitam, quæ jubet, quæ facienda sunt, prohibetq; contraria. Eam scripto Deus extare voluit, ne hominum prauitate corrumperetur, aut ex ipsorum animis obliteraretur. Decalogus autem in duas tabulas distribuitur, quarum prior quatuor præcepta continet de officiis nostris erga Deum, siue de dilectione Dei. Mat. 22. 37. Posterior autem tabula continet præcepta sex de officiis nostris erga proximum, siue de dilectione proximi. Et ibidem v. 39. Hanc rectam esse decalogi distributionem ex Dei verbo. Exod. 31. 18. & 32. 15. ex rebus ipsis de quibus tradita sunt præcepta & ex Patrum scriptis perspici potest. Origenes in c. 20. Exod. Homilia 8. ubi distincte enumeravit duo priora primæ tabulæ præcepta, ait, nonnullos in unum confundere, & id si ita putetur numerum decem mandatorum complectum iri. Authorem perfecti operis in Matth. Hom. 49. Nazianzenus suis versibus ita decalogum distinguit. Hieronymus & Ambrosius in 6. cap. ad Eph. idem septiunt. Addit præterea Ambrosius ibidem prima quatuor mandata ad Deum pertinere, Reliqua secundæ tabulæ ad hominem. Augustinus hic varius est, tria enim primæ tabulæ precepta numeranda esse censet contra Faustum lib. 15 cap. 4. & 7. At quæstione septimâ veteris, & noui testamenti quatuor mandata primæ tabulæ disertè attribuit. Quo autem lex Moralis melius explicari possit observandas tradunt viri docti quasdam regulas. 1. Quia præcepta maximam partem synecdochicè concepta sunt, ex interdictis vitiorum, contrariarũ virtutum mandata, & contra ex mandatis virtutum interdicta, contrariorum vitiorũ intelligenda. Item ex una specie universũ genus, & ex factis externis consilia & cupiditates internæ sinul intelligendæ sunt.

2. Cum relativis sanciuntur correlativa: Dum enim præcipitur. 5. præcepto, ut liberi parentes honorent, jubentur

jubentur etiam parentes liberorum curam suscipere, & eos piè, ac honestè educare. 3. Secunda tabula cedit primæ, quia proximus diligendus est propter Deum: Itaq; magistratus & parentes honorandi sunt in domino, ut ait Apo. Ep. 6. 1. In timore Domini, ut Dominus non offendatur, dum illi honorantur: Obedire enim oportet Deo potiùs, quam hominibus. Act. 5. Verumtamen hæc regula de moralibus intelligi debet, non autem in observatione Cæremoniarum. Nam si necessitas, & salus proximi omissionem Cæremoniæ postulet, Cæremonia potiùs omittenda quàm salus proximi negligenda. Mat. 12 & 15. Observandum denique propter fines diversos vnum & idem opus in diversis præceptis contineri. Nam falsum testimonium, quatenus petit famam proximi pertinet ad præceptum. 9. quatenus autem proximi vitam ad sextum.

Mar. 12. 9 Deut. 6. 4, Exod. 20. 2.

Audi Israel: ego sum Iehova Deus tuus, qui eduxi te à terra AEgypti, è domo seruorum.

ETsi duo priora verba videntur addita, non sunt tamen; nam expressa legimus Deut. 5. 7. & 6. 4. quæ Christus Marc. 12. 29. disertè commemorat. Legem suam promulgaturus initio Deus præfatur, non quod prætermissa omni suasione pro jure suo non posset imperare; sed nostræ infirmitatis habita ratione ad captum, & ingenium nostrum orationem accommodat. Præfationis duę sunt partes; altera postulat attentionem; altera legi parendum esse suadet. Israelis nomine, Metonymia causæ, Ecclesiam Dei intelligimus, quam jubet Deus attentè auscultare, & studiosè legem ferendam cognoscere, penitusque animo perceptam habere, ut vitæ sit, & morum regula. Quòd tam diligenter attentionem præcipit, & suum in nos amorem testatur, & ingenii nostri tarditatem eiiciendam arguit. Suasionis argumenta descriptio ipsius legislatoris continet, (*Ego inquit Iehova*)

pri-

primum argumentum ab essentiæ attributo; Iehova enim significat à quo, per quem, & in quem sunt omnia. Rom. 11. 33. Nam ex eo, & per eum, & in ipsum sunt omnia: Ipsi sit gloria in sæcula. Amen. Act. 17. 27. 28. Profectò non longè abest ab unoquoq; nostrum, in ipso vivimus, & movemur, & sumus. Itaque non solùm principio res omnes condidit, sed etiam sua providentia gubernat, adeoque verbo, & nutu suo potenti sustinet, ut nulla vi nobis insita, sed Dei solius beneficio, ac virtute consistamus. Summum igitur est illi jus, & potestas imperandi, ut parendi necessitate obstricti teneamur, præsertim cum et nobis creator, & conservator liberrima voluntate, & gratuito beneficio esse voluerit. Quare gratis animis tanti beneficii memores divinæ legi ultro, ac sponte pare re studeamus. Alterum argumentum à jure gratuitæ adoptionis. Ego sum Deus tuus, qui gratuito fœdere te in peculium elegi præ omnibus aliis populis, ut attendas voci meæ, & observes fœdus meum. Exod. 19. Deut. 26. Cum verò se Deum populi sui vocat duo sunt animadvertenda, Alterum, quod Deus Israelem electum sibi ex gratuito fœdere, amare, tueri ac ut omni benedictionum genere tùm in præsenti, tum futura vita cumulare velit. Beata enim gens illa, cujus Iehova Deus est. Psal. 103. Beatus ille populus, cujus Iehova Deus est. Psal. 144. Tanta autem vis est promissionis (Ego sum Deus tuus) fœdere comprehensæ ut ex ea Christus Abrahami, Isaaci, & Iacobi immortalitatem asserat, & adversum Sadducæos mortuorum resurrectionē demonstrat. Mat. 22. 32. Eorum enim corpora quos Deus gratuita in Christo misericordia servat, tandē aliquando suscitabuntur, & animis denuò conjuncta, immortalitate fruentur, quia Deus ipsorū Deus est. Alterū quod populus, siquidem Dei populus esse velit, ex fœdere informa Deo suo cultum, obedientiam, & gratitudinem deferre debeat. Vocat enim populum suum ad sanctitatem, & justitiæ studium. Levit. 19. Sancti estote, quia

sanctus sum ego Iehova Deus vester. Ex jure igitur fœderis necessariò divinæ legi parendum erit. 3. Argumentum à Dei facto nimirum liberatione populi sui ex Ægypto. Nihil enim ęquius esse potest, quàm ut è misera servitute liberati authorem libertatis revereantur, & colant. Complectitur autem hæc liberatio non solùm temporariam illam populi Israelitici ex Ægypto, sed etiam omnes Ecclesiæ liberationes ex malis quotidianis, & omnia erga nos Dei beneficia. Fuit enim illa è durissima servitute liberatio typus spiritualis nostræ, qua à Dei Filio verè in libertatem è potestate diaboli, peccato, & morte vindicamur. Nemo igitur non vehementer incendatur ad parendum legi, quam audit à summo Domino profectam, cujus imperium defugere neque licet, neque potest quisquam, quem ex jure fœderis gratuiti colere, & ejus benignitati respondere debet.

Primum præceptum.

Ne esto tibi ullus Deorum alienorum ante faciem meam

PRæcepta primæ tabulæ vel Dei personam respiciunt, & ipsius cultum interiorem, ut primum: vel circa media divini cultus externa versantur. Media adhibenda, secundum præceptum definit. Mediorum verò usus, ac modus primùm in genere precepto tertio, deinde stato tempore, die nimirum septimo præcipitur. Primum autem præceptum vetat ne, quod alij falsò pro Deo habent in veri Dei nostri conspectu vel numen esse putemus, & habeamus: vel ei cultum veri Dei tribuamus. Ante faciem suam prohibet habere; vel sine se, vel secum, ut interpretatur Exod. 20.23. Facto vel cogitatione, nam ei intima cordium sunt explicata. Auget hæc particula (ante faciem suam) idololatriæ scelus, quòd Deus ad Zelotypiam provocatur, quoties figmenta nostra substituimus in ejus locum: quemadmodum si impudica mulier producto palam ante oculos mariti adultero, eius animũ magis uteret. Monet igitur, non posse novos Deos adsciscì, quin adsit ipse testis, & spectator. Ex interdicto man-

datum intelligimus, vnum verum Deum, qualē se verbo suo patefecit, colendū esse. Ille est Iehova Spiritus æternus, omnipotens, summè bonus, sapiens, misericors, justus, verax, omni modo infinitus, ac proinde vnus. Sed ne in immensū se fundat oratio, præcipua obedientię capita, quæ hoc mandato jubentur, videamus: Interim vitia virtutibus opposita explicemus, & quæ legē observantibus præmia, quæ ve infringentibus pœnæ sint constitutę, doceamus. Quę ratio in sequentibus tenenda erit. Primum autem caput est Dei agnitio, qua vnū Deum verū, qualem se verbo suo patefecit, esse cognoscimus, & solū agnitū colimus, & veneramur. Atq; hęc Dei agnitio ipsius donū est. Ier. 24. Indituros sum iis cor ad cognoscendū me, me esse Iehovā, eruntq; mihi populus, & ego ero iis Deus. De hoc dono nobis gloriandū esse ait Ier. 9. Sic ait Iehova, ne gloriator sapiēs in sapientia sua, neq; gloriator potens in potētia sua, neq; gloriator dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, se intelligere & cognoscere me, me esse Iehovā exercentē benignitatē, & jus, & justitiā in terra. Christus hanc Dei agnitionē vitā æternā appellat, quia ad eam ducit. Io. 17. 3. Hæc est autem vita æterna, ut te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christū. Cum agnitione pugnat Dei ignorantia, ex qua alii sunt planè *atheoi*, ut Theodoro cognomento Atheos, qui aperte dixit se dubitare, an essent dii. Cic. l. 1. de natura Deorū. Vel negant Dei providentiā, & rerum administrationē, ut Epicurus. Ps. 14. dicit stultus cum animo suo, non est Deus. Alij fatentur quidē Deum esse, sed vel verum non habent, ut qui plures constituunt, vel si verum, non tamen verè habent; in quo genere primū ludæi, qui etsi vnū colunt Deum, non noverunt tamen, quia filium ignorant. Matth. 11. vers. 27. Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quisquam novit nisi Filius, & cuicunque Filius voluerit retegere. Deinde hæretici omnes, qui Dei naturam, vel attributa non rectè agnoscunt, aut quæ vnius Dei propria sunt

rebus creatis tribuunt, ut Pontificij corruptissimis aliquot sæculis naturam humanam Christi, quæ vno, & proprio loco circumscripta est, quia natura est finita, plurimis simul locis, ijsque disjunctissimis esse tradunt, quod vnius naturæ divinæ, quippe infinitæ, proprium est. Vnde in manifestam idololatriam feruntur, dum in Missa sub speciebus panis & vini, totum & integrum Christum vbique adesse credentes idolum panis adorant. Consimili errore Vbiquitarij in rebus omnib⁹ Christum hominem non aliter esse, quam in, sub, vel cum pane in cœna Domini volunt. Dei etiam ignorantia est illa Pontificiorum, qua dicunt sanctorum animos in cœlum receptos vota nostra, gemitus, & preces in terris audire, quod nihil est aliud, quàm Dei infinitam sapientiam, cordium inspectionem cum creaturis communicare. At detestabilis maximè est affectata illa Dei ignorantia, de qua Paulus ad Rom. 3. ex Psalmis: Non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum. Item eorum, qui facta pactione cum diabolo, fidem & religionem ejurantes diabolo se mancipant, cujus ope multa cognoscant, & efficiant ad explendum cupiditates animi sui. Levitici 19. Deut. 18. Secundum caput est fides, quæ non solùm notitia, & persuasio est, qua firmiter assentior omnibus quæ Deus in verbo suo nobis patefecit, sed etiam certa fiducia à Spiritu sancto per Evangelium in corde meo accensa, qua in Deo acquiesco, certò statuens non solùm aliis, sed mihi quoque remissionem peccatorum, æternam justitiam, & vitam donatam esse, idque gratis ex Dei misericordia propter vnius Christi meritum. 2. Paral. cap. 20. vers. 20. Definitionem explicauimus in primum symboli articulum. Fidei repugnat incredulitas, quæ fidem Dei verbo detrahit. Ioh. 20. Dixit Iesus Thomæ, ne esto incredulus sed credens. Hinc oriuntur Dei tentatio, & dubitatio. Dei tentatio est qua homines divinæ potentiæ, & veritati diffidentes, illius tamen experimentum, & specimen petunt. Exod. cap. 17.

Con-

Contendens populus cum Moſche dicebant, date nobis aquam, & bibamus. Quibus dixit Moſches, quid contenditis mecum? quid tentatis Iehovam? Quaſi diceret, quid veſtra incredulitate Deum provocatis, vt vobis edat potentiæ ſuæ, & præſentiæ ſigna? Dubitatio eſt, qua incertus eſt animus de rei eventu. Iacob. 1. 6. Nam qui diſceptat, ſimilis eſt fluctui maris, qui ventis agitatur, & jactatur. 2. Fiducia in rebus creatis, ut in humana ope & auxilio, Ierem. 17. Maledictus vir ille, qui fiduciam habet in homine, & ſtatuit carnem brachium ſuum; à Iehova autem recedit animus ejus, Pſal. 20. verſ. 9. Pſal. 146 verſ. 3. 2. Chron. 16. verſ. 12. aut in divitiis Epheſ. 5. Nam hoc nôſtis nullum ſcortatorem, aut impurum, aut avarum, qui eſt idololatra, habere hæreditatem in regno Chriſti & Dei: aut in locis munitis, Ierem. 49. 16. aut denique in magicis artibus, & fiducia illorum, qui nefarias artes exercent, & eorum, qui veneficos, & hariolos cõſulunt. 3. Obedientiæ caput Spes, quæ ex fide nata exſpectatio eſt certa vitæ æternæ propter Chriſtũ gratis dandę, & mitigationis præſentium malorum, & liberationis ab illis juxta conſilium Dei. 1. Pet. cap. 1. Integrè ſperate in eam, quæ vobis defertur gratiam, in patefactione Ieſu Chriſti. A fide autem differt quod fides præſentia nobis ſiſtit Dei beneficia, ſpes meliores ſemper Dei beneficio futuros rerum eventus expectat. Hebræ. 11. 1. ad Rom. 8. Nam ſpe ſervati ſumus. Spei opponitur deſperatio, quæ eſt peccata majora æſtimare quam condonari poſſint, & metu futuræ abjectionis in pœnas æternas cruciari. Geneſ. 4. Tum Cain dixit Iehovæ; Major eſt pœna mea, quam vt ſuſtinere poſſim. 1. ad Theſ. cap. 4. Ne doleatis, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent. 4. Caput dilectio Dei; quæ eſt agnoſcere Deum eſſe ſummè bonum, & beneficum nobis, ut nihil priùs expetamus communione cum illo, & parati ſimus ad alia omnia, quæ amamus in gratiam ipſius amittenda. Deut. 6. Diliges Iehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex to-

to animo tuo, & extoris viribus tuis. Luc. 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & liberos, & fratres, & sorores, atq; adeo etiam animam suam, non potest meus esse discipulus. Nascitur autem dilectio Dei ex recognitione amoris divini, bonitatis, & erga nos beneficentiæ. Cum dilectione pugnat odium Dei, quo aversi homines à bono, & in malum propensi Deum vindicem fugiunt, & peccatum accusanti, & punienti irascuntur. Rom. 1. Numerantur Dei osores cum contumeliosis, superbis, gloriosis, inventoribus malorũ, & Ro. 8. Quod sapit caro, inimicitia est adversus Deum. Dilectioni Dei contraria est etiam dilectio creaturæ supra Creatorem, ut ii faciunt, quorum Deus venter est, Phil. 3. 5. Timor Dei, quo Deum & justum, & misericordem agnoscentes nihil æquè refugimus ac illius offensionem, non tam propter metum pœnæ, quam meretur peccatum, quàm propter amorem illũ quo nos clementissimus Pater cõplectitur. Quo pacto reverétur pius filius parentem, quem et valdè amat, & timet, cavetq; studiosè ne offendat. Vnde hic timor filialis dici solet, & servili opponitur, qui fit non ob offensũ deum, sed ob supplicii metũ, qualis est servorũ. Ille oritur ex fiducia & dilectione Dei, hic ex sensu judicij, & ira Dei adversũ peccatũ sine spe veniæ. Luc. 23. Neq, tu times Deum. Mat. 10. Timete potiùs eum, qui potest & animã & corpus pẽdere in gehenna. Timori etiam repugnat duritia cordis, quod resipiscere nescit. Ro. 2. Observandũ interim dilectione, & timore Dei in sacris literis significari totum Dei cultũ, & obedientiã secundũ ipsius mandata, 1. Ioh. 5. Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus servemus. Psal. 34. Agite filii, auscultate mihi, timorẽ Iehovæ docebo vos. Psal. 128. Beatus quisq; timens Iehovã, qui ambulat in viis ejus. 6. Humilitas est, qua bona omnia, quæ nobis adsunt Dei dona esse agnoscimus, & quæ à nobis fiunt, non ob aliqua facultate nostra proficisci, sed ex gratuita Dei bonitate existere, ut agnita tenuitate

nostra

nostra, nuditate, & inopia, fontem Deum bonorũ omnium prædicemus, & dona etiam aliis tributa sincerè amemus, neq; detrahere velimus. 1 Cor. 4. Quis enim te discernit? quid autẽ habes quod non receperis? quod si etiam accepisti, quid gloriaris quasi non receperis? 1. Pet. 5. Submissione animi estote inuicem ornati: Nam Deus superbis resistit, submissis autem dat gratiam. 1 Cor. 1. Qui gloriatur in Domino glorietur. Vera autem humilitas ex eo nascitur quod bona omnia à Deo manare sciamus, & ex sensu humanæ miseriæ, nuditatis, & inopiæ, ex quo dei imago per peccatum, in nobis deformata fuit. Humilitati opponitur superbia, qua miser homo bona sua non Deo, sed suæ facultati & viribus fert accepta, ut si quid bene geratur, id suæ sapientiæ viribus tribuat: vnde se, suaq; aliis anteponit, & præ se contemnit. Pro. 16. 5. Abhominationi est Iehovæ omnis altus animo Iac. 4. Deus superbis resistit, submissis autem dat gratiã. 7. Patientia, quæ est ex agnitione divinæ sapientiæ, prudentiæ, justitiæ, benignitatis obedire Deo in perferendis adversis, ut in dolore fiduciam, & spem divini auxilii retineamus, & dolorem fiducia divinæ benevolentiæ moderemur. Luc. 21. Per patientiam possidete animas vestras. Marc. 13. Qui sustinuerit ad finem vsque, is servabitur, Contraria est impatientia. Pœna hujus legis violatæ est Dei maledictio, & mors æterna. Eph 5. Ier. 17 Vnde præmium observanti constitutum intelligi potest, benedictio, vitaque æterna.

2. *Praceptum.*

Ne facito tibi sculptile, aut ullam imaginem eorum, quæ sunt in cœlis supra, aut quæ in terra infra, aut quæ in aquis infra terram, ne incurua te iis, neque colito eas: nam ego Iehova Deus tuus. Deus fortis, zelotes sum, visitans iniquitatem Patrum in Filios, in nepotes, & in abnepotes, in eos, qui odio prosequuntur me, exercens verò benignitatem in millesimam stirpem eorum qui diligunt me, & qui obseruant mandata mea.

SVperiori præcepto de verò Deo, ejusque cultu interiore diximus, sequitur de mediis externis divini cultus, & ipsius Dei cultu per media illa. Præcepti duo sunt membra, Interdictum, & interdicti suasio. Interdicti etiam duæ sunt partes: Prima vetat, ne quis pro arbitratu suo rationem Dei colendi excogitet: altera, ne Deum ista excogitata à se ratione colat. Interdicti verba speciem continent, quam per genus interpretatur, & illius distributione illustrat. Primum enim prohibet Deus, ne ad se, aut falsos Deos repræsentandum pro arbitratu, & imaginatione sua, faciat aliquis sibi sculptile, id est, nullam imaginem rei cœlestis, terrenæ, aut aquatilis: deinde vetat in iis imaginibus, vel ad eas Deum verum aut falsos Deos adorare, & colere. Hoc genere externi cultus divini, per imagines intelliguntur ritus, cæremoniæ, adeoque omnis ratio externa colendi Dei, sive veri, sive falsi, ab homine excogitata. Mandatum verò est, ut Deum verum, qualem se verbo suo patefecit, eo cultu, quem ipse verbo suo præscripserit, colamus. Primum autem divinæ cultus medium est Dei verbum, à Prophetis & Apostolis literis consignatum, quod purè, sincerèque & prædicandum est, & fide recipiendum. Deut. 6. Et erunt verba ista, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, eaque acutè ingeres filiis tuis, ac loqueris de iis, cum sedes domi tuæ, & cum ambulas per viam, cum cubas, & cum surgis. Marc. 16. 16. Profecti in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ: potentia siquidem Dei est ad salutem cuivis credenti. Rom. 1. Paulus annunciavit omne Dei consilium. Act. 20. Huic affinis est confessio veritatis: Estote semper parati ad respondendū cuilibet petenti rationem ejus spei quæ in vobis est, cum lenitate, & timore. 1. Pet. 3. Mat. 10. Quisquis igitur me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui est in cœlis. Dei verbo opponantur statuta hominum: & traditiones humanæ, quarum observationem majori studio urgent hypo-

hypocritæ, quam divinæ voluntatis verbo patefactæ; sæpeque propter hominum traditionem mandatum Dei transgrediuntur. Ezech. 20. 18. 19. Edixi enim filiis illorum in deserto, in statutis patrum vestrorum ne ambuleris, & jura illorum ne observetis, neque stercoreis Diis illorum vos polluatis: Ego sum Iehova Deus vester: in statutis meis ambulate, & jura mea observate, ac facite ipsa. Matt. 15. Cum confessione pugnat abnegatio veritatis. Quisquis autem me abnegaverit coram hominibus, abnegabo & ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis. Matth. 10.

2 Medium in sacramentis, ritibus, & cæremoniis Dei verbo præscriptis positum est, quibus ut Deus olim multis, ita signis nunc paucissimis adhibitis nobis gratiam confirmat. Matth. 28. Profecti igitur docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, Filii, & Spiritus sancti. Luc. 22. ver. 19. Hoc facite in mei commemorationem. 1. Cor. 11. Ego autem accepi à Domino: quod tradidi vobis &c. Cum his pugnant primùm sacramenta, ritus, cæremoniæ omnes, quæ non Dei, sed hominum authoritate nituntur, veluti Pontificiorum confirmatio, pœnitentia, vltima vnctio, sacramentum ordinis, & sacramentum matrimonii. In Baptismate exorcismus, chrisma, vinum, vestis mystica, sal, aqua lustralis, missæ sacrificium, panis elevatio, circumgestatio, thus, vini cum aqua mistio, multaque id genus alia. Deinde superstitiosa, & idololatrica istarum rerum vsurpatio. Præterea & verbo Dei, & sacramentis oppositæ sunt imagines, & earum usus. Nam etsi vulgo dicantur idiotarum libri, tamen Dei Spiritus aliter pronunciat. Ierem. 10. 3. Nam statura populorum sunt vanitas, cum lignum ipsum ex silva cecidit, opus manuum artificis ad normam, auro, & argento pulchrum reddit illud. Abacuc. 2. 18 quid profuerit sculptile cum sculpserit illud formator illius, fusile, & doctor falsi, cum confidat formator figmenti sui ipsi in faciendo idola muta. Excipit verò

Pon-

Pontificius vetare hoc præceptum, ne fiant idola, cujusmodi fuerunt gentium, quæ sunt inanium rerum falsæ similitudines, quibus non repræsentatur id quod revera est: sed non prohibere, quo minus fiant imagines Christi sanctorū, adeoq; trinitatis, & angelorum, quæ non sunt factæ ad repræsentandā naturam trinitatis, & angelorū, sed ad exprimendū formam, in qua apparuerunt, vel certè eorū proprietates. Bell. c. 5 l. 2. de imaginibus. Ad hæc respondent viri docti ex verbis præcepti, nullū esse imaginis & idoli discrimen. Nam dicere vetat, ne fiat ulla similitudo earum rerum quæ sunt in cœlis supra, aut quæ in terra infra, aut quæ in aquis infra terram. Atqui res cœlestes, terrenæ re vera sunt. Ergo non prohibet idola solū, quę sunt inanium rerum falsæ similitudines, sed ipsas etiam fieri imagines quæ sunt rerum existentium. Deinde nullam fieri Dei imaginem debere hac ratione demonstrant. Si nullā animadverterunt similitudinē, quo die alloquutus est Iehova populum suum in Chorebo, nullam Dei similitudinē qua ipsum colant, facere debēt: at nullam animadverterunt: Nulla igitur Dei similitudo facienda est. Deut. 4. 15. 16. Quamobrē cavebitis vobis ipsis valdè, nam non animadvertistis ullā similitudinem quo die alloquutus est Iehova vos in Chorebo e medio illius ignis: ut non corrūpatis vos, & faciatis vobis sculptile, similitudinē ullius simulachri, formā maris aut fœminæ, formā ullius animalis. Idem altero firmissimo argumento contendūt in hanc formā. Ea idololatria secundo mandato prohibetur, qua se Israelitæ polluerūt. At Israelitæ Aharone ipsoa uthore faciendo vitulum fusilem, qua similitudine Deum ipsum patrum suorum verum colerent, sese polluerunt. Idololatria igitur qua in imagine, aut similitudine Deus colitur secundo præcepto prohibetur. Exo. 32 Cum feciſſet Aharon ex eo vitulum fusilem, tum dixerunt, Hi Dii tui Israel qui eduxerunt te è terra Ægypti. Sed ne multis agam, si cultus imaginis in Ecclesia recipi debet, doceant Pontificij Dei verbo

præcipi: nullum enim agnoscimus legitimum *Dei* cultum, quem ipse verbo suo non præscripserit, ut neque temporis præscriptioni, neque exempli præjudicio locus esse debeat. 3 Est oratio qua Deum verum invocantes, summè bonum, potentem, misericordem, beneficum, justum, & veracem agnoscimus. Psalm. 50. Atque invoca me tempore angustiæ, eripiam te, ut honore afficias me. Matth. 7. Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate & aperietur vobis. Orandi formam præscribit Christus. Matth. 6. Vos igitur ita precamini, Pater noster &c. Ad orationem refert debet gratiarum actio, qua vni Deo vero ex agnitione bonitatis & erga nos misericordiæ illius pro beneficiis gratias agimus. 1. Thes. 5. Indesinenter orate, in omnibus gratias agite Ad hoc caput etiam pertinet jejunium, non tanquam species aliqua Divini cultus, sed quo nos magis serio cordis affectu ad orandum præparamus. Est autem jejunium nostri genii fraudatio, & severior in victu continentia ad certum tempus constituta. Ioel. 2. Orationi, qua invocatur Deus verus, & colitur, adversatur creaturarum invocatio, ut angelorum, & sanctorum, qui demortui sunt: & gratiarum actioni *eucharistiæ*. Creaturæ enim invocari, aut iis agi gratiæ non possunt, nisi quod vnius Dei summè boni, & benefici, adeoque cordium inspectoris proprium est, creaturæ tribuas, quod Deus ipse nolit. Esai. 42 gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Præterea angelorum, & mortuorum invocatio, neque mandato Dei nititur, neque promissionem habet, sine quibus mentem, & animum fluctuare necesse est, quod absq; peccato fieri non potest. 4 Adoratio, quæ cultus est religiosus, quem vni tribuimus quem deum, & numen habere intelligimus utpote quem omni hoc mundo superiorem, meliorem que judicamus. Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies. Matth. 4. Cum adoratione *Dei* pugnat creaturarū aut Dei adoratio ad imagines quę planè

hoc

hoc interdicto prohibetur, non incurvabis te iis, neque coles ea. Osculationem reprehendit Deus, Oseæ. 13. Idololatrarum verba commemorans, homines qui sacrificant, vitulos osculantor, id est, quicunque *Deum* colere statuit honorem illius & cultum vitulis exhibeat, quod nefaria impietate plenum, damnat Pet. Act. 10. Adorationem Cornelii reiicit, & Angelus 19. Apocal. vers. 10. Procidi, inquit Iohānes, ante pedes ejus, ut adorarē eū, sed dixit mihi, vide, ne feceris, conservus tuus sum, et fratrum tuorum. Huc pertinet cultus superstitione plenus reliquiarum sanctorum, cum ludis, spectaculis, diebus festis, quæ omnia celebrantur in memoriam mortuorum, quos sanctos habent, honorem. 5. Iuramentum, quod est attestatio Dei testis, & vindicis ad veritatem sermonis nostri confirmandam, si verum dicimus, ut ille veritatis author eam tueatur, sin falsum puniat falsò jurantem. Deut. 10. 20. Iehovam *Deum* tuum timeto, eum colito, & ei adhæreto, ac per nomen eius jurato. Iuramento opponitur omnis attestatio creaturarum ad veritatem sermonis nostri confirmandam. Matth. 5. ne juretis omnino, neque per cœlum, quia thronus *Dei* est, neque per terram, quia scabellum pedum eius est, neque per caput tuum jures. Iac. 5. 12.

Hactenus interdictum fuit, sequitur illius suasio variis argumentis explicata, primùm à *Dei* attributis, deinde ab effectis. Priora dùo (*Iehova Deus tuus*) suprà sunt explicata in præfatione legis. Tertiò se *Deum* fortem vocat, ut tam ad puniendum contumaces, quam ad benefaciendum obsequentibus, paratum noverimus, Est igitur super omnia timendus, & colendus.

4 Zelotes: mariti enim amantissimi, & castissimi personam induit, qui sacro, & spirituali conjugio nos sibi conjunxit, ut se solùm amemus, colamus, & uni adhæreamus. Nam ut omnibus fidelis, & veracis mariti officiis defungitur, ita vicissim à nobis stipulatur amorem, & castigatem cōjugalem ne idolis, & eorum nefan-

cultui nos polluendos prostituamus. Quòd si secus fecerimus, significat se fore acerrimum sui honoris defensorem, & vindicem, qui spiritualem illam fœrtationem severissimè vlciscatur. Ierem. 3. Effecta sunt visitare iniquitatē Patrum in Filios: & exercere benignitatem in amantes sui. Primùm comminatur se pœnas irrogaturum idololatris: nam visitare iniquitatem est pœnas iniquitati debitas sumere. Amplificatur verò pœnarum gravitas cum in Filios, in nepotes, & in abnepotes, si vestigiis parentum peccando insistant, se animadversurum interminatur. Luunt meritò Filii ob peccatum suum, qui non relictis idolis Deum purè colunt, sed idololatriam quasi hæreditariam amplexi, Deum verum odio prosequuntur. Nam qui Deum non amant, & castè colunt, eos odisse Deum testantur sacræ literæ. Vlciscitur autem Deus Patrum iniquitatem in Filios non infundendo iis studium iniquitatis, sed eos sua gratia, & favore destituendo, ne ex Idololatræ Patris impietate possit Filius emergere: unde Dei iram Filius in se provocat, qua pœna nihil gravi, esse potest: idcò Patris erit idololatriam detestari si Filio Pater, uti debet, bene consultum velit. Nihil verò obstat hæc comminatio, quominus Deus sæpe gratuitæ misericordiæ documentum edat in Filios Idololatrarum. Impius Achas Ezechiam, Amon optimum Iosiam genuit, ut noverimus electionem nostram neque volentis, neque currentis, sed miserentis Dei esse. Alterum Dei effectum est exercere benignitatem in millesimam stirpem eorum, qui piè ipsum colunt; tanta est beneficentiæ divinæ amplitudo, ut in longissimam posterorum seriem fundatur, quę res valde nos commovere debet ad obedientiam Dei legi præstandam. Interim significat se magis ad misericordiam, quàm ad iram propensum esse, ut hoc etiam nomine nos ad se diligendum magis alliciat. Illud adimadvertendum, quos Deus ista benignitate prosequitur, eos esse qui ex fide vera ipsum diligunt, & amorem suum

erga eum obseruando mandata ipsius, testatum faciunt. Nulla enim alia dilectio probatur Deo, quàm ea, quę se manifestum prodit in obseruatione mandatorum ipsius. Non igitur quod nobis in Dei cultu videatur, sed quod ab ipso Deo mandatum, sequi oportet. Praeterea sæpe piis patribus nascuntur idololatræ filii, ut Iehosaphato impius Iehoram, & Iosiæ Ioachas, ne majorum pietati, & sanctimoniæ salutis nostræ causas tribuamus, sed gratuitam Dei misericordiā in electos suos agnoscētes prædicemus. Lege constitutum fuit ut idololatræ lapidibus obruerentur. Exod. 22. 10. Deut. 17.

3. *Praeceptum.*

Ne assumito nomen Iehoua Dei tui in vanum: nam non relinquet impunem Iehoua eum, qui assumpserit nomen ipsius in vanum.

SEquitur mandatum tertium de legitimo mediorum divini cultus usu in genere. Duæ sunt ejus partes, interdictum, & suasio interdicti. Interdictum est, quo specie profanationis divini nominis prohibita omnē illius abusum vetat. Nam in juramento prohibet contumelioſe Dei nomen vsurpare: in eo enim Deum testem, ac vindicem ad veritatem sermonis nostri confirmandum invocantes, si falsū, & secus quam res est, prudentes, scientes dicimus, Deum quantum in nobis est, mendacij nostri summa cum ipsius contumelia, testem, & approbatorem facimus. Sic enim sacrosanctum Dei nomen in vanū assumimus, & sublata jurisjurandi religione in Dei corda intuentis conspectu mentiri non dubitamus. Iuramentū autem in mandato potissimùm assumitur, in quo perversus divini nominis abusus maximè est detestabilis, quo inde meliùs absterreamur ab omni ejus in vniversū profanatione. Ex specie igitur universum genus intelligitur, Nam Dei nomine significantur media omnia quibus & agnoscitur, & colitur Deus: assumere verò in vanum est ita usurpare media illa temere, irreverenter, falsò, ut ea-

tumelia

tumelia *D*eus afficiatur, & suo honore spolietur. Præceptum est, ut omnia divini cultus media reverenter, & legitimè à nobis tractentur, ac adhibeantur, ut Deus à nobis piè, sanctèque colatur, & glorificetur. Iam verò præcipuè obedientiæ capita videamus, quæ præcepto tertio nobis imperat. Primum est recta, & sancta verbi *D*ei tractatio in omni vita, sermone, & congressu. Pastorum quidem, & doctorũ est umma fide & diligentia verbum *D*ei prædicare. 2. Tim. 4. Prædica sermonem illum, insta tempestivè, intempestivè: argue, obiurga exhortare, cum omni lenitate & doctrina. Et populo sanctioris vitæ exemplo ita præire, ut tam vita & moribus, quàm verbo docerant, & in omni agendi ratione *D*ei gloria quæratur 1. Timo. 4. Esto exemplar fidelium in sermone, in conversatione, in charitate, in Spiritu, in fide, & castitate. Neque ut dominantes cleris sed ut sint exemplaria gregis. 1. Pet. 5. Populi verò attentè Dei verbo auscultare, assiduè teminisci, de eo sæpe reverenter sermonem habere, & se *D*eum scire factis profiteri. 2. Pet. 1. Habemus firmissimũ sermonem propheticum, cui rectè facitis, quod attendatis. Studium Beroænsium laudatur Act. 17. & in recipiendo sermonem cum omni alacritate, & quotidie scrutando scripturas, an hæc ita se haberent. Iac. 1. Estote verò factores sermonis, nec estote auditores solùm.

Adversatur verbi profanatio, quæ fit multis modis. Primùm si irreverenter vsurpetur, ut in dicteriis, si contẽptim, aut ad aures nefarias adhibeatur. Deinde negligentia, ambitione, & avaritia docentium, si perfunctorie, gratiæ colligendæ, & lucri causa prædicatur: aut si quis aliũ doceat, seipsum non doceat. 2. Cor. 2 17. Non enim, ut pleriq;, cauponamur sermonẽ *D*ei, sed ut ex sinceritate, sed ut ex Deo in conspectu Dei de Christo loquimur Rom. 2. 21. Præterea iisdem modis à populis profanatur Dei verbum, si negligenter, vel capiendæ ingnis gloriæ, vel lucri causa auscultet, aut si *D*eum se scire profiteatur, factis tamen neget. Psal. 50 ad Titum. ca. 1. Confessio

erga eum obſervando mandata ipſius, teſtatum faciunt. Nulla enim alia dilectio probatur Deo, quàm ea, quę ſe manifeſtum prodit in obſervatione mandatorum ipſius. Non igitur quod nobis in Dei cultu videatur, ſed quod ab ipſo Deo mandatum, ſequi oportet. Præterea ſæpe piis patribus naſcuntur idololatræ filii, ut Iehoſaphato impius Iehoram, & Ioſiæ Ioachas, ne majorum pietati, & ſanctimoniæ ſalutis noſtræ cauſas tribuamus, ſed gratuitam Dei miſericordiã in electos ſuos agnoſcẽtes prædicemus. Lege conſtitutum fuit ut idololatræ lapidibus obruerentur. Exod. 22. 10. Deut. 17.

3. *Præceptum.*

Ne aſſumito nomen Iehoʋa Dei tui in ʋanum: nam non relinquet impunem Iehoʋa eum, qui aſſumpſerit nomen ipſius in ʋanum.

SEquitur mandatum tertium de legitimo mediorum divini cultus uſu in genere. Duæ ſunt ejus partes, interdictum, & ſuaſio interdicti. Interdictum eſt, quo ſpecie profanationis divini nominis prohibita omnẽ illius abuſum vetat. Nam in juramento prohibet contumelioſe Dei nomen vſurpare: in eo enim Deum teſtem, ac vindicem ad veritatem ſermonis noſtri confirmandum invocantes, ſi falſũ, & ſecus quam res eſt, prudentes, ſcientes dicimus, Deum quantum in nobis eſt, mendacij noſtri ſumma cum ipſius contumelia, teſtem, & approbatorem facimus. Sic enim ſacroſanctum Dei nomen in vanũ aſſumimus, & ſublata juriſjurandi religione in Dei corda intuentis conſpectu mentiri non dubitamus. Iuramentũ autem in mandato potiſſimùm aſſumitur, in quo perverſus divini nominis abuſus maximè eſt deteſtabilis, quo inde meliùs abſterreamur ab omni ejus in vniverſũ profanatione. Ex ſpecie igitur univerſum genus intelligitur, Nam Dei nomine ſignificantur media omnia quibus & agnoſcitur, & colitur Deus: aſſumere verò in vanum eſt ita uſurpare media illa temere, irreverenter, falſò, ut cõtumelia-

tumelia *Deus* afficiatur, & suo honore spolietur. Præceptum est, ut omnia divini cultus media reverenter, & legitimè à nobis tractentur, ac adhibeantur, ut Deus à nobis piè, sanctèque colatur, & glorificetur. Iam verò præcipua obedientiæ capita videamus, quæ præcepto tertio nobis imperat. Primum est recta, & sancta verbi *Dei* tractatio in omni vita, sermone, & congressu. Pastorum quidem, & doctorũ est summa fide & diligentia verbum *Dei* prædicare. 2. Tim. 4. Prædica sermonem illum, insta tempestivè, intempestivè: argue, obiurga, exhortare, cum omni lenitate & doctrina. Et populo sanctioris vitæ exemplo ita præire, ut tam vita & moribus, quàm verbo doceant, & in omni agendi ratione *Dei* gloria quæratur 1. Timo. 4. Esto exemplar fidelium in sermone, in conversatione, in charitate, in Spiritu, in fide, & castitate. Neque ut dominantes cleris sed ut sint exemplaria gregis. 1. Pet. 5. Populi verò attentè Dei verbo auscultare, assiduè teminisci, de eo sæpe reverenter sermonem habere, & se *Deum* scire factis profiteri. 2. Pet. 1. Habemus firmissimũ sermonem propheticum, cui rectè facitis, quod attendatis. Studium Bereensium laudatur Act. 17. & in recipiendo sermonem cum omni alacritate, & quotidie scrutando scripturas, an hæc ita se haberent. Iac. 1. Estote verò factores sermonis, nec estote auditores solùm.

Adversatur verbi profanatio, quæ fit multis modis. Primùm si irreverenter vsurpetur, ut in dicteriis, si contẽptim, aut ad aras nefarias adhibeatur. Deinde negligentia, ambitione, & avaritia docentium, si perfunctoriè, gratiæ colligendæ, & lucri causa prædicatur: aut si quis aliũ doceat, seipsum non doceat. 2. Cor. 2 17. Non enim, ut pleriq;, cauponamur sermonẽ *Dei*, sed ut ex sinceritate, sed ut ex Deo in conspectu Dei de Christo loquimur Rom. 2. 27. Prætereà iisdem modis à populis profanatur Dei verbum, si negligenter, vel capiendæ inanis gloriæ, vel lucri causa auscultet, aut si *Deum* se scire profiteatur, factis tamen neget. Psal. 50. ad Titum. ca. 1. 2 Confessio

ni veritatis intrepidæ & constanti oppositæ est turpis abnegatio, sive ea fiat apertè siue tectè. Alterum obedientiæ caput est sancta tractatio, & legitimus sacramentorum vsus, quæ res fiet, si reverenter, & purè ex præscripto divinæ voluntatis verbo patefactæ administrentur. Huic opponitur operosa curatio rituum, & cæremoniarum, quibus hominum arbitratu excogitatis in Baptismo, & cœna Domini, ordinatio divina corrumpitur, & prophanatur. Deinde tota illa sacrorum nundinatio à Pontificiis factitata, qui si probationem ferre vellent, et Dei verbum, & sacramenta multis modis ab ipsis corrupta manifestè cauponati reperientur.

3 Recta precatio externa, qua non aliter, quam nos decet, qui ad Dei colloquium ingredimur, mente & animo, adeoque toto corporis gestu, & voce compositi Deum invocamus, & ea petimus quæ ad ipsius gloriam, & nostram salutem pertinēt. 1 Reg. 8. Matt. 15. 25. Luc. 10. Idem in gratiarum actione faciendum. Rectæ precationi repugnant omnis illa verborum peregrina lingua demurmuratio, in orando loquacitas, quarundam formularum, sæpe etiam non precandi, ut symboli fidei ad globulos dinumeratio, cum interea peregrinetur animus. 1. Cor. 14. Huc pertinent imprecationes, & diræ. Denique Pharisæorum oratio, qua suæ justitiæ, & meriti fiducia se jactantes, alios apertè præ se contemnunt. Luc. 18.

4 Adoratio sancta, qua externa corporis incurvatione reverenter & religiosè facta, Deū intima animi veneratione colimus, & reveremur. Cum adoratione pugnat omnis in Dei cultu irreligiosus corporis gestus, index animi superbi aut prosani.

5 Recta usurpatio nominis divini in juramento, qua Deum cognitorem esse occultorum cordis, veritatis defensorem, mendacii vindicem, & perjurii agnoscentes, juramus verè, ritè, justè ad gloriam ipsius nominis. Ierem. 4. 2. Iurabis, vivit Iehova, in veritate, in jure, & justi-

stitia. Veritas exigit, ut quod jurejurando asseritur, vel negatur, certè & verè affirmetur, vel negetur, & quod promittitur citra fraudem ullam verè promittatur. Iustitia postulat, vt justa sit jurandi causa, nimirum Dei gloria, aut salus proximi. Ius requirit, ut conceptis verbis summa animi veneratione, Deum invocemus. Huic opponitur non solùm perjurium, quod propriè non est, si qui jurat id verum putat, sed qui id falsum scit, vel putat, & tamen jurat, tanquam de vero: verum etiam omnis usurpatio titulorum Dei, quæ fit temere, irreverenter aut vlla causa, re, vel ratione vana, & mendaci.

Suasio interdicti gravi constat comminatione: nam Deus pro innocente non habebit, id est, in punem non relinquet eum, qui nomen ipsius in vanum assumpserit. Quàm verò gravis sit comminatio, ex eo intelligi potest, quod omnis nostræ & presentis, & futuræ felicitatis fons, & causa, una sit Dei misericordia, & gratuita peccatorum remissio. Psal. 32. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Ergo miseri sunt, quos pro nocentibus habet Deus, & quorum peccata non remittit: eos enim mors certa manet. Pœna politica in blasphemos statuitur, Levit. 24. 15. ut nimirū morte afficiantur lapidibus obruti. Præterea divini nominis profanatio causa est multarum calamitatum.

4 *Præceptum.*

Recordare diem Sabbathi, ut sanctifices illum. Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum: dies verò septimus Sabbatum est Iehova Deo tuo: ne facito ullum opus, tu, aut filius tuus, aut filia tua, servus tuus, aut ancilla tua, aut jumentum tuum, aut peregrinus tuus, qui est infra portas tuas. Nam sex diebus perfecit Iehova cælum ipsum, & terram, mare, & quicquid est in eis, quievit verò die illo septimo: idcirco benedixit Iehova diei sabbati, & sanctificavit illum.

DE usu mediorum, quibus colitur deus statō tempore, nimirum die septimo quartū mandatum præcipit;

non solũ enim colendus est Deus privatim ab unoquoq; nostrũ, sed etiã publica pietatis, & divini cultus professio, celebrari debet. Idcirco Deus à primis usq; temporibus solennẽ nominis sui cultum in cœtu publico instituit, & ad eam rem statum diẽ viz. septimum quemq; destinavit. Sic palam vult nomen suum in mundo celebrari, fidem, & pietatem suorum publicis exercitiis excitari, & foveri, consensum in doctrina veritatis conservari. Denique Ecclesiam in mundo conspicuam à reliqua hominum multitudine discerni. Mandatum duas habet partes præceptum, & suasionem præcepti. Præcepto adhibetur admonitio de cura, & religione, qua Sabbatum observari debet. Monet enim recordandum esse diei Sabbathi, & stato tempore Dei cultum publicè exercendum, esse, bene memoria tenere. Admonitio autem docet, & quàm facile officij nostri memoriam deponamus, & quàm studiosè diem Sabbathi velit observari Dominus. Præceptum (Sanctifices diem Sabbati) quod duo complectitur, primùm septimo quoque die quiescendum, & ab omni opere nostro cessandum. Alterum diem illum quietis non desidiæ, & ignavo ocio sed Dei cultui consecrandum, & destinandum esse, ut septimi diei sanctificatio nihil sit aliud, quàm exempti è reliquarum dierum numero ad Dei cultum sacrosanctum destinatio. Quomodo sit in cæremoniis sabbatum, & quarum rerum fuerit veteri Ecclesiæ signum, quamque ob causam facta sit mutatio in cap. 2. Geneseos exposuimus. Persequamur itaque paucis ea, quæ jubentur, & quæ vetantur. Primum est post officii nostri diligentem meditationem, & precibus privatis adhibitis præparationem, sacris Ecclesiæ conventibus statis horis adesse, & ea omnia publicè exercere pro vocationis ratione, quæ pertinent ad Dei cultum, ut sunt verbum Dei prædicare, & audire, sacramenta administrare, & recipere: Deum eum Ecclesia publicè adorare, invocare, & illius nomen solenni gratiarũ actione celebrare. Act. 20. Primò autem

autem die hebdomadis, coactis discipulis ad frangendum panem. Paulus disserebat cum iis abiturus postridie, produxitque sermonem usque in mediam noctem. Act. 20. vers. 7. Deinde coetu dimisso cum aliis de verbo sermonem habere, & meditationi doctrinæ, ac precibus, vacare. Huc referri debet scholarum ordinatio, omniaque adjumenta, quibus sacrum ministerium foveatur, ac conservatur. His opponitur neglectio, & contemptus publicæ professionis, quæ res fit multis modis, vel enim diem quietis obire negligunt, vel humanis rebus impendunt: aut si adsunt, neque se tamen in cultu exercendo, neque alios exemplo juvant, & quod gravius sæpe aliis obsunt:. Prohibentur itaque primò, opera quotidiana vocationis ordinariæ. 2. Itinerá extra casum sanctæ necessitatis. 3. Nundinæ. Nehem. 13. 4. Labores & vectiones in ipsa aratione & messe. Exod. 34. 21. Sex diebus operaberis, die autem septimo cessato, in ipsa aratione, & messe cessato. 5. Dies festi sanctis, aut angelis dicati, joci, ludi, spectacula, epulæ, convivia, saltationes, quibus aperte profanatur Dei Sabbatū. 6. Ministerij contemptus, & scholarū neglectio. 2. Præcipiuntur opera misericordiæ, ut visitemus grotos, juvemus pauperes, lapsos moneamus & inimicos reconciliemus. Nehem. 8. 1. Cor. 16. 2. Primo quoque die Hebdomadis unusquisque vestrum apud se reponat recondens quæ pro Dei benignitate licuerit, ne cum venero, tunc collectæ fiant. Misericordiæ operibus opponuntur neglectus, & contemptus pauperū, & egeni, qui nostro egent auxilio. Iniquitas Sodomi non confirmavit manū pauperis, & egentis. Eze. 16. 49. Sequūtur argumenta, quibus suadet observationē Sabbathi. 1. A fine septimus enim dies est dies quietis Iehovæ, & illius cultui dicatus. Ergo ab operibus nostris cessandū, & sacris erit vacandū. Nam sacrilegium foret diem illum Iehovæ cōsecratum in gerendis rebus humanis cōsumere. Illa trahuntur antecedens illud à disparato usu reliquorum sex dierū quibus integris, si videatur, benignè permittit Deus opera

humana facere, ne sit molestum die septimo ab operibus nostris abstinere. Consequens est ipsum interdictū, ne facito ullum opus, viz. humanum vocationis ordinariæ: Nam quæ sunt opera ad Dei gloriam pertinentia, & presentis necessitatis, permittuntur omnia. Mat. 12. Non legistis in lege Sabbathis Sacerdotes in Templo Sabbathum profanare, & inculpabiles esse, Luc. 14. Quis vestrum, si asinus, aut bos in puteum incidat, non statim extrahet eum die Sabbathi. Amplificatur consequens distributione causarum, quibus opera fiunt Sabbatho: non solùm enim prohibentur die Sabbathi opus facere, qui jubendi potestatem obtinent, sed etiam qui parent, adeoque jumenta & peregrini, qui gentis legibus, ubi peregrinantur, teneri non videntur: sic enim Deus urget observationem Sabbathi, ut rationem gloriæ suæ imprimis hic haberi velit. Servi autem, quia ad Dei imaginem sunt conditi, & salutis ipsorum habenda ratio, continuis laboribus non sunt fatigandi, & jumentis ipsis parcendum, ut ad humanitatem condeceſiamus. Exod. 23, 12. Peregrinos verò labores intermittere jubet, ne suo exemplo præbeant Ecclesiæ offensionem. Alterum argumentum est Dei ipsius factum ad imitationem transferendum: Habet enim vim legis. Deus absolutis operibus creationis, quievit die septimo, & eum suo cultui consecravit. Ergo nobis die septimo est quiescendum ab operibus nostris, & in eo die cultus publicè exercendus. In violatores legis apud Mosehen pœna fuit mors: erat enim capitale crimen. Exod. 31. 14. Num. 15,

Præceptum 5.

Honora patrem, & matrem, ut prolongent dies tuos super terram illam, quam Iehova Deus tuus dat tibi.

DEinceps de officiis erga proximos quæ secunda legis tabula præscribit, nobis erit dicendum. Proximū unumquemque esse intelligimus, qui ad Dei imaginem conditus sit caro nostra, quem verè, & ardenter, ut nos-

me

metipsos, amare debemus. Ex illo Christi dicto. Matt. 7. Quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite iis. Ista est lex, & prophetæ, quod alterius omnium animis impressum est, officia omnia erga proximum interpretari convenit. Præceptorum. 2. Tab. unum speciale est, reliqua communia. Speciale de honorandis parentibus. Honoris nomine reverentiam, obedientiam, & gratitudinem intelligi omnibus manifestum est: hîc enim parentum, & superiorum dignitatem, & excellentiam tuemur & conservamus. Patris autem, & matris nomen significat omnes superiores, parentes, consanguineos, & affines, qui sunt parentum loco, magistratus, ministros, dominos, seniores ætate, donis præcellentes. Gen. 45. 8. Deus constituit me Patrem apud Pharaonem, & Dominum toti familiæ ejus, præfectumque in universa terra Ægypti. 1. Cor. 4. 15. nam etsi decem millia pædagogorum habeatis in Christo: at non multos patres habetis: in Christo enim Iesu per Evangelium ego vos genui. Nahamanis servi Dominum suum Patrem vocant. 2 Reg. 5. 13. Elisæus Patrem inclamat Eliam 2. Reg. 2. 12. Et Paulus jubet seniorem hortari, ut Patrem. 1. Tim. 5. Honorem verò istis omnibus tribuere lex jubet: quibus enim Deus gloriam, & honorem suum communicat, nos eos honorare decet. At qui ille unus Pater, Rex, Dominus, & doctor. Matth. 23. 1. Cor. 8. 6. 1. Tim. 1. 17. Hominibus hanc dignitatem tribuit ut & ipsi Patres sint, reges, Domini, & doctores, quare & nos eos revereri convenit. Dii vocantur magistratus. Psal. 82. quia judicium exercentes DEI ipsius locum occupant, nam judicium ipsum Dei est Deut. 1. Mandato autem præcipitur obedientia liberorum erga parentes, tum quia patria potestas & gubernatio est antiquissima, tum quia regula esse debet ad quam omnis administratio, & obedientia conformetur: nam qui parent superioribus cujuscunque sint ordinis, & loci, eos non secus, ac parentes suos colere, & observare decet, & qui præsunt, inferiores non aliter ac

liberos amplecti, fovere, ac tueri: at, quæ hoc præcepto jubentur, explicandum. Primùm, erga superiores omnes reverentia, quæ variis actionibus exhibetur. 1. assurgendo prætereunti. Levit. 19. Coram canicie assurgito. 2. Genu flectendo Genes. 18. 2. 3. Sedem, atque sermonem priorem concedendo. Gene. cap. 34. Iob. 32.

4 Debitos titulos reverentiam præ se ferentes in colloquio cum iis vsurpando. Anna dixit Eli, Domine mi, mulier sum ægro animo, vinum, aut potum inebriantem non bibi. 1. Samuel. 2. 2. Præcipitur erga superiores authoritate obedientia, primùm mandatis illorum. Rom. cap. 13. Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto. Itaque quisquis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit, Qui autem resistunt sibi ipsi condemnationem adferent. Coloss. 3. vers. 23. Quicquid feceritis, ex animo præstate tanquam domino, & non hominibus. Obedientia præstanda est erga superiores cum fide, & diligentia, ut videre licet in Abrahami servo. Genes. cap. 24.

Præterea obedientia præstanda est etiam duris & malis, non tamen in malo. 1. Epist. Pet. cap. 2. vers. 18. famuli subditi estote cum omni timore Dominis, non solùm bonis, & æquis, sed etiam pravis. Act. 4. Oportet Deo potiùs obedire, quàm hominibus.

2 Mandatur subjectio in ferendo impositas ab iis pœnas Genes. cap. 16. vers. 6. Atque eas etiam injustas. 1. Epist. Pet. cap. 2. vers. 20. Quæ enim gloria si peccantes, & colaphis cæsi istud toleretis. Sed si cum benefaciis, tanquam afflicti toleratis, hoc cedit vobis gratiæ apud Deum. 3. Gratitudo, quę se exerit partim precibus, partim necessaria subsidia superioribus suppeditando. 1. Epist ad Timoth 2 cap. 2 vers. 1. & cap. 5. vers. 17. Qui bene præsunt Præsbyteri, duplici honore digni sunt. Gen. 45 vers. 10. 11.

His opponuntur irreverentia, & contemptus superiorum, qui multis etiam fit modis. Gen. cap: 9. vers. 21.

Exo.

Exod. cap. 21. vers. 17.

3 Inobedientia, qua contemnuntur eorum justa mandata. Rom. 1. 30. Parentibus immorigeri. 3. Ingratitudo, & *astorgia* in parentes. Matth. cap. 15. vers. 5. Vos autem dicitis, quicunque dixerit Patri, aut matri, donum est, quocunque à me juvari posses, insons erit, & nequaquam honoraverit Patrem suum, aut matrem suam. Præterea, quia mutuò se respiciunt superiores, & inferiores parentes liberi, magistratus subditi &c. sunt etiam officia, quæ superiores debent inferioribus.

1 Præire exemplo inculpatæ vitæ, & gravitatem cum dignitate retinere vultu, gestu, factis, & verbis, His enim cohonestanda est imago Dei, quam gerunt ante suos inferiores. Iob. 19. 18.

2 Qui præ sunt subditos bene regere in Domino, ne offendant, & procurare ea, quæ sunt in bonum subditorum, sive ad corpus, sive ad animam pertineant. Epist. Paul. ad Roman. cap. 13. vers. 4. Dei enim minister est tuo bono. Denique innoxios tueri, & nocentes justè punire. Huc pertinet & belli suscipiendi, & gerendi consilium pro Patria. His verbis adversantur effrænis superiorum licentia, levitas, negligentia in administrando munere, nimius rigor, vel indulgentia in castigando. 1. Samuel, cap. 2. Ephes. 6. 4.

Suadet obedientiam præcepto præstandam adhibita promissione longioris vitæ (ut prolongent dies tuos.) Dicuntur parentes prolongare vitam liberorum, quia Dei sunt instrumenta quibus prolongatur vita. Nam actionis nomen sæpius instrumento tribuitur. Luc. cap. 16. 9. Facite vobis amicos ex mammona injusto, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. 1. Timoth. cap. 4. vers. 16. Id si feceris, & teipsum servabis, & eos qui te audiunt. Parentes autem liberorum vitam prolongant præcipiendo iis, ut observent vitam Iehovæ exercendo justitiam, & judicium. Genes. caput. 18. versu. 19. Deinde sanctis

precibus in liberorum gratiam conceptis. Specialis hic promissio intelligenda est, quia promissio secundo mandato addita universalis est, & ad reliqua pertinet: vel primum hoc cum promissione dicemus, ut ad secundam tabulam referamus. Promittit enim vitam longiorem non absolutè, sed quatenus ea est benedictio, quòd si obedientibus contingat vita brevior, rependit Deus æternam in cælis, ut promissum non fallat, sed in melius commutet. Cum autem contumacibus filiis vita longior est, ipsis in maledictionem cedit, ut reliqua omnia, quibus abutuntur Dei dona. Pœna in transgressores præcepti politicis Iudæorum legibus mors statuta est. Exod. 21. Levit. 20, Deut. 21. & 27.

6 *Præceptum.*

Ne occidito.

QVæ sequuntur mandata communia, vel spectant voluntatis assensum, & quæ inde nascuntur, id est, ea quæ fiunt antegresso voluntatis assensu, vel creaturæ puritatem vel impuritatem. Præcepta autem de ciis quæ fiunt antegresso voluntatis assensu vel respiciunt personam, ut sexum, vel personæ adjuncta.

6 Omnia mala in personam proximi vetat, & quæ pertinent omnia ad salutem, & incolumitatem proximi jubet. Etsi verò solum interdicto nominetur homicidiū, tamen illius causas, & cohærentia peccata unà etiam prohibet, quæ ideo vult homicidii nomine significari, ut illis non secus ac homicidio absterreamur. Æquissima autem interdicti ratio est. Proximus ad Dei imaginem conditus nostra est caro. Ergo violari aut lædi non debet Genes. 9. 6. Qui effundit sanguinem hominis, per hominem sanguis illius effunditor, quoniam ad imaginem suam hominem fecit Deus. Act. 17. fecitque ex uno sanguine totam gentem hominum. Deinde si Christi membra sumus, grave scelus est ea summo empta pretio violare. Rursum si proximus ad Dei imaginem cōditus nostra caro est, si Christi membrum, summo studio illius vitam

&

& incolumitatem tueri debemus. Mandatum autem affirmativum est, (vitam proximi conservabis.) Quamvis multa sunt, & quæ præcipiuntur, & quæ prohibentur hoc mandato, ad pauca tamen capita referemus. 1 Iubetur benevolentia qua sincero animi affectu proximum salvũ, & incolumen esse cupiamus. Ro. 10. 1. Fratres propensa quidem voluntas cordis mei, & deprecatio ad Deum super Israel est ad salutem. Quibus verbis & animo et corpore saluũ Israelẽ in æternum cupit. Huic adversatur malevolentia, quæ est affectus animi aliquid cogitantis, aut optantis in alterius perniciem. 2. Mansuetudo, qua iram, & concitationem animi temperat, moderatur, ut leniter alii alios toleremus. Hanc jubet Christus à se discere. Matt. 11. 19. Discite à me quòd mitis sim, & humilis corde. Matth. 5. Mites beatos prædicat. Beati sunt mites, quoniam ipsi terram hæreditatis jure possidebunt Laudatur mansuetudo Moschis. Num. 12. 3. quæ eximia fuit. Mansuetudini multa disparatè opponuntur, iracundia, ira, odium, amaritudo, inimicitia, excandescentia, cæterique id genus pravi affectus animi ex malevolentia orti. Iracundia est animi propensio naturalis ad facilè & temerè ex quavis causa irascendum. Ira est animi nostri inflammatio & commotio, quæ injurię nobis factæ vindictam expetit. Ephes. 4. 31. Omnis amaritudo, & excandescentia & ira, & clamor, & maledicentia tollatur ex vobis cum omni malitia. Reum judicat Christus qui temerę irascitur. Matt. 5. 21. Odium est animi nostri aversio continua à persona proximi, ut ne vultum ferre possimus, ex injuria nobis illata recordatione. Mat. 5. 43. Audistis dictum fuisse, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego verò dico vobis, diligite inimicos vestros. Amaritudo est acerba, & gravis injurię nobis factę cogitatio, quæ amaros, & male gratos efficit eos, à quibus nos læsos existimamus. Excandescentia est ardens animi inflammatio, quæ injuriæ nobis illatæ vindictam summo impetu cogitat. Col.

3.8. At nunc deponite etiam hæc omnia, iram, excandescentiam, malitiam, maledicentiam. Inimicitia est ex odio conceptum desiderium nocendi illi, quem odimus, quæ si occulta adhuc est, & in animo latens simultas appellatur: sin autem apertis signis sese declarat, apertè inimicitiæ dicuntur. Gal. 5. 20. Mansuetudini comites sunt lenitas, condonatio, patientia, longanimitas. Lenitas est, quæ mali, injurieque acceptæ facilè obliviscitur propter Christi præceptum, ut nullum expetat vindictam. Condonatio est, qua injustiæ nobis factæ obliti, etiam ei qui veniam non deprecatur libenter ignoscimus propter Dei præceptum, Col. 3. 12. 13. Tolerantia virtus est, qua adversa, dura, & acerba injustè nobis illata eo quo animo nullo manente in ipsum affligentem nostri odio toleramus propter Dei præceptum. Itaq; ob sua scelera meritò luentes, tolerantes dici non debent. Rom. 12. Iac. 1. 4. Cæterum tolerantia opus perfectum habeat. Longanimitas est, cum durissima quæque injustè nobis illata patienter ad extremum usque Spiritum cum gaudio propter Dei voluntatem perferimus. Hinc enascuntur perseverantia in bono, & constantia ad finem usque vitæ. Col. 1. 10. 11. Incedatis sicut Domino dignum est omni robore corroborati secundum gloriosum robur ipsius ad omnem tolerantiam, & longanimitatem cum gaudio. Quæ his adversantur facilè intelligi possunt ex antitheſi 3. Concordia quæ est animi, & sensus multorum inter se in rebus bonis consensio. 1. Pet. 3. 8. Denique omnes estote concordes mutuo molestiarum sensu affecti, fraterna proditi charitate, ad intimam misericordiam proni, comes. Huic repugnat discordia quę est animi, & sensus dissensio multorum in ea re, in qua consentire debuerunt 1. Cor. 1. 10. & 3 v. 3. 4. Amicitia qnę est mutuus duorum aut plurium inter se affectus ex honesta consuetudine conciliatus, & mutuis perpetuò officiis confirmatus, ut eadē justa & honesta velint, contraria aq; nolint usque ad vitæ finem. Cum amicitia pugnat *aphilia*, cum quis jucundam & fun-

sanctam amicitiæ consuetudinem aversatur. 5 Fortitudo est virtus animi, quæ dolorem corporis, & malum omne impendens, adeoq; mortem ipsam æquo animo tolerat. & injustam vim quoad licet, & æquum, est ex Dei præcepto propulsat. 6. In verbis oratio illa jubetur, qua erga proximū indicatur benevolentia, & illius incolumitati consulitur. Contrà prohibetur non solum dictum illud, quo malum personæ proximi creatur: sed etiam quod animi irati vel temere sit indicium. Mat. 5 22. Quicunque verò dixerit, fratri suo, Raca, tenebitur consessui: quisquis verò dixerit fratri, fatue, tenebitur gehenna ignis. Nefaria etiam consilia & machinationes in vitam hominis, quia explicantur oratione ad homicidium, quod verbis fit, referri debent. Genes. 49. 6. In arcanum eorum ne ingreditor anima mea. Eodem pertinent contentio, clamor. Eph. 4. 31. 7. Conservatio vitæ proximi, & omnis illius è periculo expediendi ratio, si vis afferatur. Huic, cædes opponitur, quæ fit, si ulla ratione injuriosè, & privata authoritate vita hæc mortalis alteri eripiatur. Gal. 5, 21. Huc pertinet omnis per injuriam læsio proximi facta. Scelus autem eorum qui sibi manus inferunt adeo detestabile est, ut propter horrorem, ne in cogitationem venire debeat. 2. Sam. 17. 23, Pœna cædis perpetratæ quæ ad publicum exemplū pertinet mors est. Exod. 21. 12 27, Itaque quem gladio ferit magistratus, Dei jussu, plectitur ob summum scelus.

7 Præceptum.

Ne scortator.

QVæ personæ adiuncta respiciunt præcepta, ea vel præcipuū spectant, ut septimū de castitate, vel minus præcipuū, ut bona externa, quę fortunę dicūtur, & nominis existimationē. Interdictū omne scortationis genus, et impurā libidinem vetat. Nam etsi quidā vertunt, ne cōmittas adulteriū, vox tamen hebræa genus universū complectitur. Mandatum affirmativum est de castitate & nostri & proximi conservanda. Cuius æquissima est ratio pri-

primùm Dei voluntas. 1. Thes. 4. 3. Nam hæc est est voluntas Dei sanctificatio vestri, ut abstineatis à scortatione. Heb. 12. 14. Pacem sectamini cum omnibus, & sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum.

Secundò, ut Dei imaginem conservemus. Lev. 11. 44 Sancti estote, nam ego sanctus sum. Tertiò, Si Christi membra sumus, cavendum ne polluamus illius membra, & templa Spiritus sancti 1. Cor. 6. 15. An ignoratis corpora vestra esse membra Christi? Num igitur tollens membra Christi faciam scorti membra? Absit. In summa autem hoc mandato præcipitur castitas, quæ est animi, & corporis nostri ab omni libidine puritas, & quæ omnes illegitimæ veneris causas, occasiones, signa tollit, & aversatur propter Dei præceptum. Castitas verò est duplex: altera vitæ cœlibis, altera conjugij. Castitas in vita cœlibe est virtus, qua vitantur omnes vagæ libidines extra conjugium. Castitas coniugalis vitæ est ea, quæ ex lege conjugij puritatem & animi, & corporis servat. Conjugium est legitima, & indissolubilis conjunctio viri & fœminæ à Deo instituta, ut alter alteri sit adjumento ad generis humani propagationem, et parato remedio scortatio vitetur. Conjunctio est, quę duorum continet individuam vitæ consuetudinem. Legitima verò esse non potest, nisi ex legum præscripto, si personæ sint ætate, conditione, gradu, idoneæ, & qui sub parentum potestate sunt, eorum consensum habeant. Indissolubilis est Dei ordinatione. Quod enim Deus conjunxit, homo ne sejungat. Matt. 19. 6. Author conjugii Deus fuit in Eden in horto ante hominis lapsum, & Apostolus honorabile esse in omnibus pronunciat ad Heb. 13. Viri & fœminæ diximus, ut sit unius maris cum una fœmina conjunctio. Illud enim naturæ monstrum, & pudicitiæ bellum fuit indictum cùm imperator Nero, puerum Sporum solenni nuptiarum ritu pro vxore duxit, & eundem etiam Doryphilo liberto suo denupsit. Nec Patrum polygamia excusari potest, etsi propagationis humani generis, &

Ec

Ecclesiæ videatur habenda ratio. Fines conjugio tres sunt propositi. 1 ut conjuges alter alteri sint adjumento, & solatio. Genes. 2. 18. Dixerat autem Iehova Deus non est bonum hominem esse solum: Faciam ei auxilium commodum ipsi 2. Vt genus humanum propagetur. Genes. 1 28. Dixit iis Deus, fœtificate, ac augescite, & implete terram. 3. Vt vitentur vagæ libidines. 1. Cor. 7. 5. Ne fraudate alter alterum, nisi si quid sit ex consensu ad tempo, ut vacetis jejunio, & precibus, & rursum simul convenite ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.

Castitati primùm repugnat cordis libido, si accesserit animi, & voluntatis consensus. Mat. 5. 28. Ego dico vobis quicunq; aspicit mulierẽ, ut eam concupiscat, jam adulteravit eam in corde suo. Huc pertinet carnisustio, quæ pietatis exercitia impedit, & velut ignis consumit 1. Cor. 7. 9. Quod si se non continet, matrimoniũ contrahat, nam melius est matrimonium contrahere quàm uri.

Secundò varia illegitimæ conjunctionis genera scortatio, stuprum, adulterium, incestus, conjunctio præter naturam. Scortatio est conjunctio cum meretrice. Stuprum fit, quando cœlebs cum vidua, aut virgine rem habet. Adulterium est cum thorus conjugalis a marito, vel vxore violatur. Heb. 13. 4. Scortatores autem, & adulteros damnabit Deus. Incestus est conjunctio consanguineorum, aut affinium in gradu lege Dei prohibito. Levi. 18. 6. Nemo homo ad ullum propinquum carnis suæ accedito, nimirum in gradu lege vetito. Gradus designantur à stirpe. Est autem stirps persona à qua aliæ sunt derivatæ, ut ex communi regula, quot sunt personæ à stirpe, tot sint gradus. Lege divina secundus gradus, politicis etiam tertius prohibetur. Conjunctio præter naturam, & cum belluino furore, & ipsa tantum scelus execrante natura, vel mares cum maribus, vel fœminæ in fœminas exardescunt: aut etiam cum brutis abominando scelere sese polluunt. Rom. 1. Levit. 18. 23. Cum ulla bestia ne cõmittito, ut concumbas, polluendo te cum ea; mulier

mulier quoque ne consisto coram bestia, ut incubet sibi confusio est, id est, divinæ ordinationis perturbatio, & facinus confusione dignum.

Tertiò abusus ipsius conjugij. 1. In morbo muliebri. Levit. 18. 19. Item ad mulierem in separatione immunditiei suæ ne accedito. 2. Peccant conjuges in usu conjugali intemperanter inter se vivendo. Scribit Ambrosius adulterum uxoris cum esse, qui in ipso quoque usu conjugii nullam verecundiæ, vel honestatis curam habet. Hieronymus sapiens vir, inquit, judicio debet a mare cõjugem, non affectu.

Sunt etiam virtutes quæ castitatem tuentur, & conservant Modestia, & Sobrietas. Modestia est virtus sanctũ decorum conservans in omni actione et motu. 1. In omni gestu. Iob. 31. 1. Fœdus pepigeram cum oculis meis, & quid adverrissẽ animum ad virginem. 2. In verbis de re propter peccatũ nostrũ pudenda *femmes logos*. Gen. 4. Deinde Adam cognovit Euam uxorẽ suam. 3. In vestitu debet esse decor sanctus ad Tit. 2. 3. Anus itidem ut sint habitu, qui sanctimoniam deceat. Debet etiam unicuique sexui, & ordini suus esse vestitus. Deut. cap. 22. vers. 5.

Sobrietas est virtus, quæ cibi, & potus vsum sanctè moderatur. 1. Thessal. cap. 5. vers. 9. Nempe igitur, ne dormiamus, ut reliqui, sed vigilemus, & sobrij simus: sobrietatem verò colemus si tempestivè, & parcè ederimus, ac biberimus quantũ naturæ necessitas postulat, ut robur corporis conservetur firmius, & animæ pietas major accendatur. Eccl. 10. 24. O beatam regionẽ cuius rex natus est clarissimis, & cuius principes suo tempore comedunt ad robur, non ad compotationem, Luc. 21. 34. Cavete autem vobis, ne quando graventur corda vestra crapula, & ebrietate.

Cum modestia multa pugnant. 1. Gestus libidinis & impuri animi index, ut lascivi aspectus. 2. Pet. 2. 14. Oculos habentes plenos adulterii, & qui à peccando cessare

essare nesciant. 2. Lasciviæ representationes in ludis & comœdiis; Lasciva saltatio viri & fœminæ cæteique motus id genus.

Secundò in verbis cum modestia pugnat sermo putris & spurcus. Ephes. 4. 20. Nullus sermo putris ex ore vestro egreditor. Ephes. 5. 3. Scortatio verò, & omnis impuritas, aut avaritia, ne nominator inter vos, sicut decet sanctos 1. Cor. 15. 33. Mores bonos colloquia corrumpunt prava. Huc referri debent libelli amatorii, lasciviæ & libidinis magistri, quos velut angues refugere debemus. Tertiò luxus, & lascivia vestitus. 1. Timoth. cap. 2. vers. 8. 9. Volo itidem & mulieres amictu honesto cum verecundia & modestia ornare sese; non cincinnis vel auro, vel margaritis, vel pretioso vestitu. In hoc vitium acerbè Esaias invehitur. cap. 3. Huc etiam pertinet abusus vestium, cùm præter dignitatem induitur vel vir fœminæ vestimento, vel illa viri. Deute. cap. 22. vers. 5. Ne esto instrumentum virile super fœminam, neque induito vir vestem fœminæ: nam abominationi est Iehovæ Deo tuo quisquis facit ista.

Sobrietati oppositæ sunt vinolentia, crapula, ebrietas, commessatio: adeo fœcunda est vitiorum seges.

Vinolentia est immoderatus vini appetitus ex prava bibendi consuetudine comparatus. 1. Pet. cap. 4. 3. Sufficit enim nobis præteritum vitæ tempus, quod quæ libent gentibus patraverimus, cùm incessimus in lasciviis, cupiditatibus, vinolentiis, commessationibus, compotationibus, & nefariis simulachrorum cultibus. Crapula sive compotatio est nimia vini, cibique ingurgitatio. 1. Pet. cap. 4. vers. 3. Ebrietas est vitium quo ex immoderata vini sumptione facultates & corporis, & animæ præpediuntur, ne suum officium rectè faciant. Ephes. 5. 18 Ne inebriamini vino, in quo luxus est, sed implemini spiritu. Cõmessatio est assidua cibi, & potus sumptio, idq; sæpius, quã necesse sit, aut naturæ vires expetant ex immoderata voluptate, quã ex cibo capimus. Ro. 13. 13. ut interdiu

com

compositè incedamus, non in commessationibus, & ebrietatibus. Huc pertinet ignavum otium, & desidia, quę causa est superiorum vitiorum: unde illa Poetæ.

Quæritur Aegisthus quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

Et illud.

Otia si tollas periere Cupidinis arcus

Pœna omnis scortationis spiritualis est mors æterna. 1. Cor. 6. 9. Adulterij verò politica lege Moschis mors. Deut. 22. ut etiam legibus omnium populorum, qui rectè senserunt.

8 *Præceptum.*
Ne furator.

IN adjunctis minus præcipuis sunt primùm bona & facultates ad hanc vitam tuendum à Deo nobis datæ: has spectat octavum præceptum, quo synecdochicè furandi verbo prohibentur omnes rapinæ, & fraudes in bona, & facultates proximi: contraque præcipiuntur officia justitię omnia, quibus proximo cuique suum tribuimus, & nos rectè justè parta bene vtimur. Præcepti ratio est necessaria. Cum enim quod quisque iure possidet, id illi Deus gratuito munere tribuerit, eique sartum, ac tectum manere velit, nisi fraus divinæ dispensationi fiat, eripi non potest. Nam ut Dominus bonorum omnium, quæ obtinemus est largitor: ita & custos est, & conservator, qui suo edicto sancit, ne ullo modo eripiantur, quæ singulis dedit. Deinde ipsa natura monente & impellente uti rerum odinem initio constituit Deus, distincta sunt hæc rerum dominia, quæ si quis cōfundit, naturæ ipsius edictum, sanctionemque violat. Apud Lycios si quis furti damnatus fuit, servire cogebatur: unde & servi sunt appellati: adeo furtum maximè servile, fœdum, & ingenuo homini indignum est semper habitum. Præterea ne Reipubl. pax, & tranquillitas turbetur, res sua unicuique salva manere debet, Idcirco ab optimis legum latoribus

pœna

pœnæ semper in fures sunt constitutæ. Virtus prima, quæ hoc mandato præcipitur est *Autarcia*. Est autem virtus animi, qua nostra sorte, quam dedit Dominus quasi sufficienti nobis copiâ contenti, nihil impium, injustum, aut indecorum admittere, rem nostram majorem faciendi causâ volumus. 1. Tim. 6. 6. Est autem magnus quæstus pietas cum animo sua sorte contento v. 7. Nihil enim intulimus in mundū, videlicet nec efferre quicquam possimus. v. 8. Sed habentes alimenta, & quibus tegamur hæc nobis satis erunt, Heb. 13. 5. Sint mores alieni ab avaritia: estote contenti præsentibus. Dixit enim ipse, non te deseram, neque derelinquam. Hac virtute præsentibus bonis contenti sumus, ut etiam placidè feramus paupertatē, aliaque incommoda, neque appetamus aliena, aut bona non necessaria. *Autarciæ* opposita est avaritia, quę Paulo *Philargyria* dicta est, nimium nostrum sive ex diffidentia quadam de Dei promissionibus, sive ex ipso pecuniæ amore in pecunia acquirenda, vel conservanda, studium. Radix dicitur omnium malorum, quod genera peccati multa & gignat, & foveat, ut sunt variæ fraudes, periuria, circumventiones, rapinæ, crudelitas, corruptelæ judiciorum, odia, veneficia, cædes. 1. Tim. 6. 10. Siquidē radix omnium malorū est amor pecuniæ, quam quidā dum appetunt, aberrarunt à fide, & seipsos transfixerunt doloribus multis. Est etiam idoli cultus avaritia. Nam avarus mentem, et animum in opibus congerendis fixū habet, & in iis fiduciam collocat. Ideo idololatram vocat Paulus, & à regno Dei excludendū esse ait. ad Ephes. 5. 5. Cui tam deest, quod habet, quàm quod non habet: ita sibi rei suæ usum suffuratur, ut perpetuo miser meritò peccati sui det pœnas. Plena autem malis avaritia comites habet insatiabilem lucri cupiditatem, tenacitatē, nimiā parsimoniam, amorem pecuniæ: unde illud portæ: Lucri bonus est odor ex re qualibet. Secunda frugalitas: Ea est moderata, & qualis oportet pecuniæ, rerumque ad hanc vitam necessariarum conservatio: & earundem

quantum, & quando oportet insumptio. Prov. 21. 5. Cogitationes seduli tantùm emolumento sunt, omnes autem præcipites tantùm ad egestatem pertinent. Frugi autem homo & condus, & promus est. Contrarium vitium vocat nomine, sed ex opposita virtute facilè intelligi potest. Tertia liberalitas, quæ est virtus animi, qua pecuniam nostram damus nulla recipiendi spe, quibus, & quo modo, quantûq; oportet propter Dei præceptũ. Versatur quoq; in pecuniis accipiẽdis. Philosophi liberalitatẽ in pecuniis medio cribo dandis: magnificentiã verò in magnis; qualem fuerunt Salomoni, effundẽdis versari volunt. Liberalitati opponũtur duo vitia, sordes, et prodigalitas. Sordes sunt, quibo malignè, neq; quo modo oportet pecuniæ dantur. Prodigalitas est nimia, & incõsiderata pecuniæ profusio. Virtutes cognatę sunt liberalitati, beneficẽtia, misericordia, hospitalitas, lætitia de alieno bono, gratitudo, studiũ rei familiaris augendæ, rectis & honestis artibus. Beneficentia est, qua propter Dei præceptũ egeno etiã non petenti gratis, ac libenter nostra tribuimus. Gal. 5. 22. Huic adversatur ficta charitas, quæ verbo & lingua solùm diligit, à qua dehortatur, 1. Joh. 3. 18. Filioli ne diligamꝰ verbo, neq; lingua solùm, sed facto & veritate. Misericordia est sensus alienæ miseriæ ex serio charitatis affectu, cui subvenire cupimus. Beneficentia reipsa, & facto subvenit egeno: Misericordia verò sæpe in nudo animi affectu cernitur. Mat. 5. 7. Beati qui sunt misericordes: quoniã ipsi misericordia tribuetur. Eleemosyna autẽ est effectũ misericordiæ, quo se alicujus opis præstatione erga egenũ, & afflictũ patefacit. Misericordię oppositа est barbaries inhumana, quæ non curat alienam miseriã aut quæ pauperem expilat. In hanc sæpe invehuntur prophetæ vehementer. Hospitalitas est peregrini etiã ignoti benigna & comis in tectum nostrũ exceptio, ut rebus necessariis ad tempus utatur, fruatur, qualis Abrahami fuit. Genes. 18. Heb. 13. 2. Hospitalitatis ne estote immemores: per hanc enim quidã insci angelos exceperunt hospitio. Contra-

tia est inhospitalitas. Lętitia de alieno bono est sincerũ animi nostri gaudium cum gratiarum actione, quæ Deo fit à nobis propter alterius novum commodũ, & fœlicitatẽ, vel recepti iam boni accessionem. Hinc variæ apud Paulũ gratiarũ actiones. Opponitur invidia, quæ est tristitia animi de alieno bono, Invidus alterius macrescit rebus optimis, Comitẽ habet curiosam alienæ rei inspectionẽ, quæ non juvandi animo res alienas, curiosiùs, quam par est, perscrutatur. Hanc damnat. 1. Pet. 4. 14. Sed enim nemo vestrum malo afficiatur, ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienarum rerum inspector. Gratitudo est beneficij ab alio accepti agnitio, quæ ad Deũ illius boni authorem, & hominem tanquam instrumentum reverenter habet. Ingratitudo contrarium illi vitium est, beneficii ab alio accepti vel oblivio, vel non digna pro ratione beneficii, & laude merentis gratiarum actio & contemptu facta: Qui ingratum dixerit, omnia convitia dixerit. Studium rei familiaris, est animi & corporis ad honestum aliquod opus applicatio rei augendæ causa.

Contraria est pigritia, quæ opus, aut studium ad quod vocati sumus vel omnino prætermittimus vel susceptum negligenter agimus. Pigri. 2. Thes. 3. 11. Inordinatè vivere dicuntur à Paulo. Quarta justitia commutativa est, quæ suũ unicuiq; tribuit, & æqualia pro æqualibus reddit, in omni vita ubicunq; fit rerum æstimatio seu cõpensatio in contractibus, judicijs, & pœnis, non solũ ubi damnũ & lucrum, sed etiã ubi delictũ, & pœna æstimatur. Definit Aristoteles justitiã commutatiuam esse, quæ commutat æqualia proportione Arithmetica, id est, quę simpliciter rerum æqualitatem efficit, ut in venditione & emptione justum & æquivalens pretium dat emptor, in mutuatione, qua usus rei transfertur ad alium, redditur æquivalens vel simile individuum, in commodato sine pretio idem individuum integrum, & incorruptum redditur: in permutatione res æquivalens reddenda est.

in locatione constitutũ pretium ęquivalens rei ad tempꝰ locatæ : in oppignoratione ipsum pignus incorruptum: depositum idem: in societate in qua alius pecuniam, alius operam confert, unicuique æqua pars lucri & damni cedit : in pœna talionis homicidiũ nece punitur, sicut & cætera paria delicta, vis publica, grassatorum impetus:

Cum justitia pugnat omnis injustâ rerũ translatio, quæ injustitia dici potest. Fit autẽ vel vi, vel fraude. 1. Thes. 4. 6. Ne quis opprimat, & habeat quæstui fratrem suum: nam ultor est Dominus omnium istorum. Injustitia vi facta rapina dicitur, vel furtum improbius. Est enim injustitia impudenter, & vi facta. Itaque Vlpianus ait Iulianum scribere eum, qui vi rapit furem improbiorem esse. Esa. 33. 1, Væ tibi vastator, qui ipse non vastaris. Pro. 21. 7. Vastitas improborũ dissecabit ipsos, quia renunt exercere jus. Augetur hoc injustitiæ crimen, quod vi fit, aut etiam quod fraude rei ipsius & loci interdum circũstantia, nam sive vi, sive fraude res diuinę eripiantur scelus est gravi9, quàm si humanæ. Divinę appellantur, quæ ad sacrum Dei cultum sunt destinata, quarum direptio sacrilegium dicitur, quod quarto etiam præcepto prohibetur. Et gravius peccatum est in rebus humanis publicæ pecuniæ furtum, quod propriè peculatus dicitur quàm privatæ. Fraude fit injustitia quæ furtum appellari potest primùm in re forensi à judice, litigatore, & causæ patrono, si judex sincerè judicia non exerceat, & ex legibus absque odio, & fauore unicuique suum non tribuat, vel juris ignorantia iniquè pronunciet: si litigator munere judicia corrumpat, aut tectiore aliqua arte incautũ circumveniat: si patroni lucri causa perfidè agant. Scribit Tacitus Annalium undecimo, quemadmodum vis morborum pretia medentibus, sic fori tabem pecuniam advocatis ferre. Furtum extra forum fit multis modis: nam in emptione, venditione, locatione, cæterisque id genus contractibus, si non justum, & æquivalens redditur, fiet injusta rei alienæ translatio. Deinde ut rem paucis complectar,

plectat, substantia rei, & vsus, vel quantitas: aut qualitas & rei commoditas surripitur, etsi substantiæ rei solùm, & usus furtum dicatur fieri à Iure consultis. Definiunt enim furtum contrectationem fraudulosam lucri faciendi gratia, vel reiipsius, vel usus ejus possessioni suo quod lege naturali prohibitum est admittere. Aut brevius furtum esse dolo malo rei alienæ contrectationem: furenim callidè & fraudulosè rem alienam contrectat, & ad se transfert. Contrectationem omnino necessariam esse tradunt, quia furtum inquiunt, sine contrectatione fieri non potest, nec animo furtum admittitur. Vnde manifestè apparet discrimen inter Dei mandata, & humanas leges. Addunt fraudulosam, quia fradulenta solùm contrectatio furem facit. Vsus erit furtum, si quis quod vtendum accepit alij commodaverit, lucri faciendi causa aut qui depositum accepit, si lucri causa contrectaverit. Aliquando autem suæ etiam rei furtum quis committit, veluti si debitor rem, quam creditori pignoris causa dedit subtraxerit. Quantitatis ratione furtum committitur, si quis falso pondere, mensura, numero utatur. Deut. 25. 13. Ne esto tibi in loculo tuo diversum pondus magnum & parvum. Lev. 19. 35. Ne exercito perversitatem in ullo munere in dimensione, in pondere, aut in mensura. Pro. 20 10. Diversa pondera, diversæq; mensuræ abominationi sunt Iehovæ equè utraq;. Et 11. 1. Lances dolosæ abominationi sunt Iehovæ, pondus verò integrũ acceptũ est ei. Ad hæc furtum fiet, si pari pretio pauperi, ac diviti, & quo res semel pretio rectè æstimata est, non vendatur. Falsa est etiam illa sententia lucrari licere quantum possumus: evertit enim Christianę charitatis præcepta, & ex mercatura latrocinium facit. Qualitatis respectu si non eadem res, quæ debetur, aut quæ promissa redditur, veluti si vetus pro novo supponitur, ut corrupta pro puris: aut omnino malũ pro bono. Lev. 27. 20. Mal. 1. 14. Immo maledictus est machinator, qui cum sit in grege ipsius masculus vovet, & sacrificat corruptum Domino.

Amos.8.5. Quando transiverit hoc novilunium, ut vendamus cõmeatum? & Sabbatum, ut aperiamus frumenti horreа, minuendo ephaм, & majus faciendo pondus, ac pervertendo lancibus dolosis: comparando pecunia tenues, & egentem pari calceorum? ut denique quisquilias frumenti vendamus? Cõmoditatis autem ratione si res non traditur suo loco, & tempore, ut si quis mercenarii hõminis mercedem differat, neq; ei statim petenti solvat, certè pro fure habetur. Deut.24.14.15. Ne fraudẽ facito mercenario, pauperi aut egeno, è fratribus tuis, aut è peregrinis apud te, qui est in terra tua infra portas tuas. v.15. Die suo dato mercedem ejus, neque occumbito super eam sol, nam pauper est, quare ad eam attollit animum suum: ut non invocet contra te Iehovam, & sit in te peccatum. Iac.5.4. Præterea furti peccatum augetur, si calumniis, aut aliqua verborum impostura res aliena obtineatur: nam ipsi furto mendaciũ accedit, quando vel per calumniã res eripitur proximo, vel rei vitium celatur & verborum fuco dissimulatur. Luc.19.8. Adstans autem Zacchęus dixit domino, ecce dimidiũ bonorum meorũ do pauperibꝰ, etsi quid cuipiam per calumniã eripui, reddo quadruplum. Pro.20.14. Pessimum est, ait emptor, sed cum discessus est, tum seipsum laudat. Quod hic de emptoris impostura, quæ verbis fit, idẽ de venditoris fuco intelligendum est. Huc pertinet dictum illud eos, qui emũt ut revendant, nisi admodũ mentiantur, non facere quæstum. De usura restè hoc loco queri potest, ut conscientia Christiani hominis consulatur. Ex Christi autẽ axiomate de re tota statuendum erit. Mat.7.12. Quæcunque igitur volueritis, ut faciant vobis homines, ita & vos facitote iis. Definiunt usurã lucrum esse supra sortem exactum tantùm propter officiũ mutuationis: hęc usura ita descripta peccato vacare non potest: privatum enim qua cunq; ratione, non proximi cõmodum respicit. nam lucrum supra sortem, quæ proximo utilis non fuit, id est, cujus permutatione nullum accipienti cõmodum accesserit, retẽ

mor-

mordens lucrum dici potest, quod vetat nomine accipere Le. 25. Itē cum facultatibus attenuato fratre tuo apud te vacillabit manus eius, tunc confirmabis illum etiā peregrinum, aut inquilinum, ut vivat tecum. 36. Non accipies ab eo usurā, aut fœnus, sed timebis à Deo tuo, ut vivat frater tuus tecum. Exo. 22. 35. Si pecuniā mutuam dederis populo meo pauperi ipsi, qui est tecum, ne eslo ei tanquam fœnerator, ne imponito ei usurā, id est, mordens lucrum: sic enim vox hebræa sonat. At si frater accepta mutuò pecunia rem suā augeat, vel quavis ratione sibi cōmodet præter sortē licet exigere accessionē: pecunia enim utcunque non in se, tamen accipientis opera est fructifera, nam ne fundus quidē frugifer esse potest, nisi colatur. Quāigitur iniquū est lucrū supra sortē accipere, remq; tuā augere cùm nihil mutuò pecunijā accipienti accesserit: tā injustū erit alienę pecuniæ permutatione quenquam facultates suas augere, cùm nihil lucri domino accesserit. Non enim hic agitur de sublevāda fratrū inopia, de qua te lex disertè cavet ne quid supra sortem à tenui exigatur. Ex. 22. 25. In quā sententiā Christi verba sunt accipiēda. Lu. 6. Mutuū date nihil inde sperantes: dandū enim mutuum tenui, et egeno solo bene faciendi affectu, non spe aliqua lucri cōsequendi. At si divitimutuū dederis, quo ille sibi rem faciat nullum erit operępretium. Pœnæ furti spiritalis est mors æterna. 1. Cor. 6. 10. Neq; fures, neq; avari, neq; ebriosi, neq; convitiatores, neq; rapaces regni Dei hæreditatem possidebunt. Pœna verò politica furti lege Moschis varia fuit: qui bovem furripuit, quinq, reddebat qui pecudem quatuor: nocturnum furem impunè etiā occidere licebat. Ex. 22. Romanis furti manifesti, quod fit cùm fur non solùm in ipso furto deprehenditur, sed etiā eo loco, quo furtū fit, pœna fuit quadrupli: furti verò nec manifesti, dupla Justin. l. 4. Institutionū Lege duodecim tabularum, si nox furtum faxit, & in aliquips occisit jure cæsus esto. Quòd verò fures à variis gentibus capite plectantur non quadrupli pœna, vel dupli, ob hominum fa-

improbitatem: crescentibus enim flagitiis, crescunt poenę.

9 *Præceptum*

Ne proferto contra proximum tuum testimonium falsum.

FAmam, & hominis existimationem nonum præceptum spectat. Inter dictum vetat falsum omne testimonium, adversus proximū proferre: mandatum verò jubet vti vitam ipsam, coniugia, & facultates, sic & proximi famam tueri, & veritatem in omnibus tum dictis, tum factis nostris colere. Ratio & æquitas præcepti facile perspici potest: nam veritate quæ in nobis pars est diuinæ imaginis, Deo similes maximè sumus, quod respondit interrogatus Pythagoras; & qui mendacio delectantur, mendacii authorē diabolum, ut patrē referunt. Ioh. 8. 44. Vt igitur mendaciū odisse, sic veritatem colere debemus, si Dei imaginē in nobis tueri volumus. Deinde veritatis amor, quo penitus hominum animi imbuuntur naturæ instinctu, quem ingeneravit Deus, eòdē nos ducit. Præterea nisi veritas colatur, & mendaciū prohibeatur, nulla hominū societas diuturna esse posset. Prima hujus præcepti virtus est veritas, qua verū amplexi constanter profitemur, ac defendimus, ut existimationis proximi propter Dei præceptum rationē, quoad licet, & æquū est, habeamus. Cum veritate pugnat mendaciū. Est autē mendaciū cum aliter loqueris, vel gestibus mentē declaras, quàm sētias, & quàm res se habeat. Mendaciū fit vel scripto, vel verbo. Scripto si quis famoso libello, aut inscriptione ad contumeliam facta, proximi famā lædat. Verbo clam, vel palam fit. Qui enim clam proximo detrahunt, fusūrones à Paulo dicuntur Rom. 1. 30. Qui palam maledicunt, vel præsentem, vel in absentem invehuntur: si in præsentē, contumelioſi nominantur, qui probris, ac maledictis proximum infectantur. Sic Simei Davidem sanguinariū vocat. 2. Sam. 16. 7. 8. Qui in absentem, oblocutores siue detractores appellantur. Ro. 1. 30. Est autē detractio alienæ virtutis insidiosa criminatio, obscuratio, & imminutio aut etiam contumelia, aut probri objectio. Lev. 19. 16

Ne

Neambulato cum detractione inter populares tuos. Psal. 15.3. Ad hęc, qui mentienti, & proximi famā lædenti aures libenter accōmodat, mendacioq; delectatur: aut si existimationem proximi non tueatur, alieni peccati se etiā reum facit. Detestabile mendacii genus, quod non fit uno modo calumnia, quæ est falsum crimen malitioſè confictum, & innocenti objectum: cujusmodi illa fuit, à qua se purgat David. 1. Sam. 24. 1. Reg. 12. 12, 13. Veritatis comites sunt adjunctæ, simplicitas, cādor & constantia. Simplicitas est, quæ sine verborū ambagibus, vera, & recta propriè, & perspicuè dicit, & facit. Huic opponitur callida verborū circuitio, qua falsum velut fuco tegitur. Candor est virtus, quæ rectè dicta, vel facta rectè accipit, ambigua in meliorē partē interpretatur, ut pravas suspitiones non admittit ex benevolo in proximum animo. Contraria sunt candori pravæ suspiciones, adulatio, ostentatio, & stulta credulitas. Prava suspicio est opinio mali de aliquo temere concepta, cùm justa nulla sit causa. Adulatio est nimius alterius laudatio à nobis facta, ut illi placeamus. Est etiam adulator blandus inimicus. Act. 12. 22. Herodi populus acclamabat, vox Dei, & non hominis. Grave scelus est in ministris verbi. 1. Thes. 2. 5 Neque enim unquam fermone assentatoria usi sumus, sicut nostis, nec avaritię causā quicquam prætexuimus, Deus testis est. Ro. 16. 18. Ostentatio, qua quis ineptè se, & sua nimis laudat. Stulta credulitas quidvis temerè arripit, & credit etiam sine justa, & probabili causa. Constātia est, qua veritatē animo perceptā constanter dicimus, & profitemur. Est enim veritatis conservatrix. Cum ea pugnat levitas & pertinacia. Levitas prēter rationē veras temere mutat sententias. Pertinacia est, qua quis perseverat in falsis opinionibus, ut de errore convictus ab eo non abducatur. Vtilem reddunt veritatis orationem taciturnitas, comitas, & urbanitas. Taciturnitas est, qua reticemus, arcana, & dictu non necessaria ubi, quando, & quatenus est opus, & nimiam loquacitatem vitamus. Huic oppo-

sitas

sitæ sunt garrulitas, & morositas. Garrulitas omnia, etiam arcana sæpenumero, intempestivè, & stolidè effutit. Morositas est nimium silentium. Comitas, qua libenter cum benevolentiæ significatione audimus, & proximo respondemus, ut decet, & necesse est. Comitati adversatur omnis in congressu absurda, & inepta agendi ratio, quæ fit sermone. Vrbanitas est nostri sermonis condimentum, quo animi honestè delectantur, absque ullius rubore. Huic opponitur scurrilitas, insulsitas, & dicacitas. Scurrilitas est obscœna jocatio, & putida. Insulsitas est urbanitatis intempestiva, & inepta tractatio. Dicacitas est acerba aliorum exagitatio, & irrisio ad eorum contemptum à nobis facta. Præterea damnantur hoc præcepto æmulatio, & inanis gloriæ cupiditas, quæ pleraq; vitia à nobis exposita parit. De pœna mendacij respondit Philosophus quòd mendaces ne creduntur quidē, cum vera dicunt. Pœna verò spiritualis est mors æterna nisi resipuerint. Apoc. 21. 8. Pœna autem politica lege Moschis falsi testis mors fuit. Deut. 19. 19. Romanis antiquissima pœna falsi testis, ut de saxo deiceretur. Recentior verò deportatio, & bonorum omnium publicatio, vel pro magnitudine negotij sæpe mors indicta.

10. *Præceptum.*

Ne concupiscito domum proximi tui, ne concupiscito uxorem proximi tui, aut servum eius, aut bovem eius, aut asinum eius, denique quicquid est proximi tui.

DEcimum præceptum prohibet omnem impuritatem voluntatis assensum præeuntem: requirit verò eam naturæ puritatē in nobis, quæ ante lapsū fuit, cogitationes animi puras, motus, & affectus, quales à prima illa puritate proficisci debuerunt. Mandati ratio, & interdicti æquissima est: Nam Deus initio naturę, & facultatū omniū puritate hominē à se conditum donavit: iure igitur donata ad sui numinis obsequiū reposcit. Etsi verò mala nomina sovendo non simus, non minùs tamen creationis lege, & bonitatis divinæ beneficio obstringimur. Ad

hæc

hæc cum Deus sit Spiritus sanctissimus, & purissimus, qui nihil admittat impurum, aut in conspectu suo sistinear consistere, lex ferenda fuit, quæ pura, spiritualis, sancta ad intima cordis humani penetraret. Ex quo melius apparet discrimen inter Dei mandata, & politiæ humanæ leges. Præcipitur hoc mandato primùm sanctitas, & integritas naturæ humanæ, & facultatum illius omniũ: deinde puritas cogitationũ, motuum, & omniũ affectuũ: ut sit earum rerum summa cum dei lege cõsensio, et cum ipso Deo conformitas. Luc 10. 27. Interdictio autẽ damnat omnem impuritatẽ naturæ nostræ, & facultatũ eius: præterea pravas cogitationes, motus, & affectus omnes, etsi voluntas non assentiatur. Iac. 1. 14. Gal 5. 17. Nã superioribus præceptis damnatæ fuerunt cupiditates illæ, quibus voluntas assentitur: vnde perspicuè apparet præceptum supervacaneũ non esse. Etsi Philosophi & poeti ethnici primæ lucis igniculis admoniti pravas cupiditates damnarunt, & radicitus extrahendas esse censuerunt: nam cupiditatẽ non solùm malum esse tradunt, sed etiã malorum pene omnium fontẽ. Dicebat Xenocrates non minus esse turpe oculos, quàm manus in alienũ agrum inijcere. Quomodo Pericles graviter collegã Sophoclẽ monuit. Praterea decere non solũ manus sed etiam oculos abstinentes habere. Verumtamen eam solùm mali concupiscentiam, & cogitationem damnat, quæ certum animi propositum, certamq; rei malæ agendæ deliberationem habet cum assensu voluntatis. Quocunq; etiam se vertunt Sophistæ Pontificii, eòdem redit oratio, eas enim solas malit cupiditates damnat, quibus mali perpetrãdi voluntatis consensus accedit. Sed error ex eo nascitur, quòd illi ignorant, quæ quanta q; sit humanæ naturę corruptio, et vitiositas earũ cogitationum, atq; appetituum qui ex ea proficiscuntur. Non enim solùm dãnatur hoc præcepto illa mali cogitatio, quæ nos titillat, & delectat, tacitoque nostrum pectus pertentat gaudio, sed etiam rei malæ cogitatio levis, & momentanea, quæ priùs

animum prætervolat, quàm à nobis animadverti potest Nam si naturæ vitiositas damnetur, quidni etiam corruptionis ipsius veriſſimi fructus omnes? Atqui vitiositas damnatur, quia puros nos apparere coram Deo oportuit, quales ab eo conditi ſumus: ideoq; originis peccatum expiatione indiget, gratuitaque remiſſione. Diſtributione ſubjectorum illuſtratur præceptum, non domũ non vxorem, non ſervum &c. concupiſces. In fine autem genus ipſum ſubjicit, quo omnem concupiſcentiam prohiberi oſtendit. Nominatim verò earum rerum meminit, quas homines ardentiùs, & frequentiùs appetunt, ut hic etiam concupiſcentiam malam tantùm damnari intelligamus, quædam enim bona eſt, ut naturalis cibi appetitio, & Spiritus concupiſcentia, Gal. 5. 17 Spiritus concupiſcit adverſus carnem. 1. Tim. 3. Qui epiſcopatũ deſiderat. Illa igitur ſola concupiſcentia prohibetur, quæ à Dei voluntate vel tantillũ recedit. Pœna hujus peccati ſpiritualis mors eſt. Ro. 6. 23. & 7. 7. Corporalis autem, et politica nulla eſt. De factis enim, & conſiliis feruntur leges politicæ.

Vtriuſque tabulæ ſumma.

Deut. 6. 4. Luc. 10.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota cogitatione tua: & proximum tuum ut te ipſum.

IN ſumma præcipitur dilectio Dei quidem propter ſe, quia nihil fructuoſius, nihil jucundius, aut ſuavius: Modus autem eſt, ut quidam ait, ſine modo diligere, ut immenſa quadam, & infinita vi amoris erga Deum ex intimo corde, & animo, omnique noſtra facultate, ſtudio, conatu ardeamus. Quo vero meliùs hanc vim exprimat Dominus, omnes hominis partes, & omnes in quaque illius parte vires, & facultates commemorat. Cõſtat homo corpore & anima. Corporis facultas robur eſt: animæ verò voluntas, & mens ſeu intelligentia, cujus vis, cogitando apparet. Ex facultatibus enim corporis & animæ

animæ ipsum corpus & animam intelligimus, quibus pariter diligendus, colendus, & venerandus est Deus. 1. Cor. 6. 20. Nam empti estis pretio: glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei. Illud autem ex totis viribus tuis Moses exprimit ex toto valdè tuo, quod nihil est aliud, quàm ex toto corporis robore Deum unicè diligendum, & colendum. Et ne fictè, perfunctoriè, & ad tempus tantùm, sed verè, integrè, & perpetuò diligamus Deum, addit toto corde, tota anima, totis viribus, ut nihil sit in ulla hominis parte, aut illius partis facultatibus, quod non sit Deo consecratum omnino, & illi penitus addictissimum. Sequitur dilectio proximi, quem, ut nosipsos, diligere debemus. Definitur autem dilectio proximi idem sentire, velle & loqui, sancti verique finis gratia ad Dei gloriam. Phil. 2. 2. Explete meum gaudiũ, ut itidem sitis affecti, eandẽ charitatem habentes, unanimes, & sententiis uni. Parem charitatem postulat, ut non modo sit amoris aliqua, sed par etiam vicissitudo, quasi una communi anima omnes viverent. A primis illis Christianis hujus dilectionis expressa est effigies. Act. 2. à versu 42. in finem capitis. Additur idem loqui: nam veræ charitatis ardor se continuò prodit, ut proximum ædificet, & sui indicium ostendat. Præterea dilectio Christiana quod sanctum, & Deo gratum est, absque omni simulatione colit, & sequitur, ad Dei ipsius gloriam, ut omnem fictum amorem à Christianis removeri, & sceleratorũ dilectionem, qualis est latronum, nullam esse intelligamus. Illud diligenter expendendum proximi dilectionem rivulũ esse illius summi amoris, quo Deo primùm, & supra omnia adhæremus. Quis sit autem charitatis erga proximum modus docet argumento comparatorum, ut te ipsum: Ostendit enim quomodo, quanta alacritate, & animi studio succurrere, & juvare proximum debemus. Nam ut ad nos, nostraq; omnia procuranda, & promovenda valde attenti, sedulí & alacres sumus: ita eadem voluntate, & tam alacri esse

animi studio, & operaerga proximum esse debemus, ut quæcunq; licet & æquum est ratione æquè illi, ac nobis studeamus. Perperã Sophistæ dictitant amorem nostri Christianæ charitatis regulam esse, cum ex Dei verbo tenere oporteat. Charitatẽ luculentè Paulus ex effectis plurimis, & adiunctis describit. Cor. 13. Superest, ut de legis divinæ usu, & quatenus æterna sit, aut antiquata, differamus. Lex Dei cæremonialis in Christi adventũ lata omnem Dei interiorem cultum adumbrabat, & victimis & sacrificiis homines ob ipsorum peccata mortem & damnationem æternã mereri testabatur: deinde plenã ab illa miseria, et damnatione in Christo exhibendo libetationẽ adumbrat. Fuit igitur Lex cæremonialis pædagogus in Christũ exhibendum patribus: quo tandẽ exhibita rectè fuit antiquata: re enim ipsa præsente, quid typo aut figura opus est? Gal. 3. 44. Itaq; lex pædagogus noster fuit in Christum, ut ex fide justificaremur. Rei tamen significatæ respectu cæremonialis æterna manet, licet tota illa cultus æterni administratio desiit. Lex quoq, judicialis abrogata fuit, quantum ad circumstantias quasdam populo Israelitico peculiares attinet: veruntamen manet semper illa æquitas universalis, ad quam omnes humanæ leges exigendæ sunt, ut justæ, & rectæ constantur. Moralis verò lex perpetua est justitiæ regula, quæ ut olim, ita nunc triplicem vsum habet. Primò peccatum ostendit. Ro. 3. 20. Per legem enim cognitio peccati. & 7. v, 7. Imò peccatum non cognovi nisi per legem Secundò per cõminationẽ maledictionis homines adigit ad gratiam in Christo quærendum, & iis, qui nesciunt resipiscere, justã damnationem interminatur, resipiscentes verò pœnarum metu ad veterem hominem indies abolendum impellit. Quòd verò operari, & augere peccatum dicitur. Ro. 7. 8. Sed peccatum occasione per illud mandatũ sumpta effecit in me omnem cupiditatẽ, id à lege fit per accidens in iis, qui non sunt regeniti, propriè enim nostra vitiositate accidit, qua non regeniti nitimur in vetitum semper cupimus-

que

plimusq; negata. Tertiò qua piè, justèque coram Deo vivendi regula est novam renatis obedientiam in omnibus vitæ partibus per Christum acceptam Deo præscribit. Vnde illa Prophetæ, Psal. 19. 11. Desideratissima (Dei præcepta intellige) desiderabiliora auro, & quidē auro purgatissimo quam plurimo, ac dulciora melle. Psa. 119. 24. Testimonia tua oblectationes meæ sunt, consiliarij mei. v. 77. Lucerna pedi meo verbum tuum est, & lux itineri meo.

ORATIO DOMINICA.

Pater noster, qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuum, veniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cœlo ita etiam in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos ab illo malo. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in sæcula. Amen.

NOvæ obedientiæ, cujus magistra renatis lex Dei est, præcipua pars in precatione versatur. Nàm inter omnes fidei fructus preces facilè principatum tenet. Nullum enim opus Deo gratius acceptiusve à nobis proficisci potest, ut gratitudinis nostræ erga Deum pars maxima in oratione sit posita, cujus necessarius usus ex eo intelligi potest, quòd non solùm jubeat Deus à se bona nobis necessaria petere, sed etiam pro acceptis beneficiis gratias agere. Matt. 7. 7. Petite, & dabitur vobis: quærite & invenietis, pultate, & aperietur vobis. 1. Thes. 5. 17. Indesinenter orate. Psal. 50. vers. 15. Invoca me tempore angustiæ: eripiam te, ut honore afficias me. Eodem Psalm. vers. 14. Sacrifica Deo laudem, & redde excelso vota tua & v. 23. Qui sacrificat laudem honore afficit me. Heb. 13. vers. 15. Deo igitur jubenti parendum, ejusq; imperio libentiùs auscultandum, quod facta nobis promissione preces nostras exauditum iri ad orandū nos alliciat. Dabitur vobis, invenietis, aperietur vobis. Ioh. 14.

Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam. Deinde per precationem bona omnia tum ad salutem, vitamq; æternam necessaria, tum quæ ad hanc vitam conferunt, quatenus est opus, adeoq; Spiritum sanctum impetramus ut Deus precatione nostra coli velit, & ea vel ut administrata sua nobis beneficia elargiri. Præterea, quoties in mentem venit nostra inopia, & indigentia, & ab ea opem, & subsidium expectandum esse, qui dat omnibus benignè, nec exprobrat. Iac. 1. 5. necessariò precatione interpellandus erit Deus. Est autem precatio religiosa desiderii, & affectus nostri sancti indicatio, quæ ex fide profecta, sit Deo Patri nobis per Christum reconciliato. Indicatio dicitur, quia vel animi sola cogitatione vel voce etiam adjuncta Deo nostrum desiderium declarare possimus. Ex fide autem additur, quia nulla Dei invocatio esse potest absque fide. Rom. 10. 14. Quomodo igitur invocabunt eum, in quem non crediderunt. Sanctum esse debet nostrum desiderium, quia sanctus est Deus, cui nihil nisi sanctum sit offerendum. Vnum denique *Deum* fontem bonorum omnium invocare jubemur. Distribuitur precatio in petitionem, & gratiarum actionem. Petitio est, qua petimus à Deo necessaria nobis, adversaque deprecamur. Gratiarum actio est, qua agnoscimus in nos Dei beneficia, & eum auctorem gratis animis ipsius merito laudamus. Petitio vel sit deprecatione, precibus, vel interpellatione pro aliis. 1. Tim. 2. Deprecatio est qua rogamus Deum, ut depellat mala, in quæ incidimus, aut quæ sunt nobis imminentia. Preces sunt quibus beneficium aliquod à Deo petimus. Interpellatio, qua pro altero apud Deum intercedimus. Quem solùm invocare, qua fiducia, & quo modo debemus, docet precandi formula, quam ipse Dominus Iesus tradidit Matt. 6. Luc. 11. Quæ non ita verbis conceptis præscripta est, ut alia precandi forma non liceat utinam piorũ, & veteri & Novo Testamento repetiuntur vota, quæ in eandem licet sunt sententiam, aliis tamen, atque aliis

verbis efferuntur. Non igitur res aliæ sunt à Deo petendæ, quàm quæ generatim oratione Dominica continentur, & ea quidem fiducia, animique submissione, & reverentia, quam ipse Christus postulat. Precatio autem ab eo tradita tres habet partes exordium, petitiones sex, & epilogum. Præfatur his verbis. *Patér noster qui es in cælis.* Docet autem & qua fiducia, & qua animi reverentia, ac submissione Deum precari nos oporteat. Dirigimus ad Deum Patrem preces nostras, ut non excludamus Filium, & Spiritum sanctum: sed ut nostram adoptionem in Christo agnoscentes, quæ nostra sit fiducia, ostendamus, cum ab uno Patre clementissimo nos totos pendere fateamur. Nostrum Patrem dicimus, partim nostræ adoptionis respectu, eramus enim natura Filij iræ. Ephes. 2. vers. 3. Partim charitatis, quia Filij Dei conjugimur, tam enim pro fratrum salute, quàm pro nostra solliciti sumus. Et si qua Patri reverentia debetur, cœlestem summâ veneratione, & pietate nos interpellare decet. In primum symboli articulum de Patris appellatione diximus. In summa hoc loco Patrem nostrum invocamus apertè professi, & qua fiducia ab uno Deo pendeamus, & quàm reverenter, ut Filios decet, ipsum Patrem veneremur, ut nihil ad illius in nos amorem posse accedere persuasum habeamus, ex quo illa manat fiducia. Matt. 7. vers. 11. Si vos igitur qui mali estis, nostis dona bona dare liberis vestris, quanto magis Pater ille vester, qui est in cœlis, dabit bona iis, qui petierint ab ipso. Psalm. 27. vers. 10. Nam Pater meus, & mater mea derelinquunt me, sed Iehova recipiet me. Esai. 49. 15. An oblivisci potest mulier fœtûs sui, ut non misereatur Filij sui? Etiam hæ oblivisci possunt, tamen ego non oblivisear tui.

Qui es in cælis.

Cœlorum nomen quàm multa significet in primum caput Geneseos explicavimus. Hic autem pro illa sede beatorum Spirituum sumitur, ubi summa majestate, & gloria Deus se patefacit. Patrem igitur invocamus, cujus im-

immensæ majestatis, & gloriæ splendor supra omnes cœlos, quos intuemur, refulget, & qui in res omnes & summũ obtinet imperium, & eas infinita potentia sapientissimè moderatur. Alterum itaq; fiduciæ argumentum Dei Patris potentia est. Ille enim, quẽ invocamus omnipotens est Dominus Deus noster, qui in cœlis est, & quicquid placet, facit. Psal. 115. 3. Quòd si Dominus est immensæ tum potentia, tum gloria refulgens, summa illi exhibenda est reverentia, ut humillima animi submissione, & abjecta nimia rerum fluxarum cura, & sollicitudine, manus, mentesq; purę in cœlum sint attollendæ.

Aphorismi.

1 Si hominem gloria ac dignitate florentem compellaturi vocem vultumq; effingimus: quanto equius est Patrem cœlestem, summum regem ac Dominum, de ipsius gloria, & nostra omnium salute interpellantes, non solùm puras manus attollere, sed etiam mentes puras castas, ac summa ipsius numinis veneratione imbutas habere? Quàmobrem impiorum vota rejiciuntur, quòd sceleribus contaminati Deum tamen precantur. Esa. 1. 15. Propterea expandentibus vobis manus vestras occulto oculos meos à vobis: etiam cùm utimini multa oratione, non exaudio: manus vestræ cædibus plenæ sunt, lavate, purificate vos, amovete malignitatẽ actionum vestrarum ex adverso oculorum meorum.

2 Summa est nostra in Christo dignitas: ea enim nobis data est, ut Filij Dei simus illius hæredes, & cohæredes Christi Ioh. 1. 12. Rom. 8. 17. Turpe igitur, ac fœdum degeneres nos ac spurios existere.

3 Si firma animi fiducia, & humili divinæ majestatis veneratione orandum est, diffidentia, & disceptatio longissimè abesse debet. Qui enim disceptat, nihil existimet se accepturum à Domino. Iac. 1. 7. Irritæque sunt etiam illorũ prece, quorum, dum verba dimurmurant, mentes peregrinãtur, aut ignoto sermone non intellecta effutiũt.

4 Qui animos invidia, ira, odio, affectos habent com-

munem Patrem sanctè invocare non possunt. Quare pax & concordia piis omnibus studiosè colenda est, & si quę suboriantur offensiones, deponendæ, & in gratiam continuò redeundum est. Rom. 12. 16. Eodem animo inter vos mutuò affecti, 1. Cor. 1. 10. 1. Pet. 3. 7.

Sanctificetur nomen tuum.

Petitiones tres priores immediatè Dei gloriam respiciũt tres autem posteriores quanquam Dei gloriam, nostrum tamen proximè utilitatẽ spectant. Primæ petitionis summa est, ut Deum agnoscamus, & ipsius virtutes, ac attributa potentiam, sapientiam, misericordiã, benignitatẽ, veritatẽ justitiam, & omnino prout se verbo, & operibꝰ patefecit. deinde ut ipsũ ex toto corde, ex tota anima, et ex tota cogitatione diligentes, colendo, sanctèq; venerando glorificemus. Nomen autem Dei primò ipsũ Deum significat, Ps. 9. 11. Itaq; fiduciã habebunt in te, qui noverunt nomẽ tuum: quia non derelinquis quęrentes te, Iehoua. Mal. 1. 11 Nam ab ortu solis usq; ad occasũ ejus magnũ erit nomẽ meũ in gentibꝰ, & in omni loco suffimentũ afferetur nomini meo, inquit Iehova. Io. 12. 28. Pater glorifica nomẽ tuũ: deinde ipsiusꝰ Dei virtutes, ac attributa, prout in verbo, & operibꝰ relucent. Ps. 118. 10 Omnes gentes circũdederant me, sed in nomine Iehovę enervavi eas. Ps. 43. Propter nomen tuũ Iehova vivũ conserva me, propter justitiam tuã educ ex angustia animã meam. Mar. 16. per nomẽ meum dæmonia ejicient, linguis loquentur novis. sanctificare autẽ est id, quod sanctum est ejusmodi censere, & sanctũ agnoscere, reverenter colere, venerari, celebrare, cõ simili loquendi modo, quo dicitur sapientia dei, quę per se justa est, justificata à filiis suis omnibꝰ. Luc. 7. 35. Io. 3, 33 dicitur, qui dei testimoniũ recipit obsignare, quod Deꝰ sit verax, id est facere, ut Deus verax agnoscatur, qualis est in sese. Petimus igitur ut deus à nobis agnoscatur, colatur, & sanctè honoretur: ac primũ quidẽ, prout se in verbo suo patefecit, ipsũ agnoscentes, in eo fiduciã collocemꝰ, et quę ad

salutem omnia pertinent, ab eo expectantes gratis animis veneremur, ut sive de eo cogitemus, sive loquamur, reverenter, & summa animi submissione Deum glorificare studeamus. Deinde sapientiam Dei, potentiam, misericordiam, justitiam, veritatem, cæteraque illius attributa quæ tum in verbo suo, tum in operibus manifesta fecit, agnoscamus cum divinæ laudis prædicatione. Ad hæc Dei cultum exteriorem, tum in verbi prædicatione & precibus, tum in sacramentorum administratione summa pietate, & divinæ majestatis reverentia exerceamus, ut studiosè Dei gloriam illustremus. Præterea factis, atque adeo in omnibus vitæ nostræ actionibus Deum nos scire professi omnia ad illius gloriam referamus. Nihil enim à Deo petimus aliud, quàm quod ille jubet fieri. 1. Cor. 10. 31. Sive igitur edatis, sive bibatis, sive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

Aphorismi.

1 Cùm hac petitione postulemus, & sanctificetur Dei nomen optamus quoque ea omnia amoveri, averti, tolli, quæ ipsius gloriam obscurant, prophanant, imminuunt, quo in genere sunt offendicula omnia. Væ mundo ab offendiculis. Necesse est enim eveniant offendicula, verumtamen væ homini illi, per quem offendiculum evenit. Mat. 18. 7.

2 Deum colendo & glorificando beatam vitam consequimur. Ardentissimis igitur votis petendum est, ut hunc vitæ cursum tenere possimus.

3 Hominis ingratitudo, & scelus est, quod sacrosanctum Dei nomen prophanetur, ut necesse sit assiduis precibus illius sanctificationem petere.

4 Non est existimandum quenquam Dei nomen sanctificare posse, qui non idem tam vitæ innocentia, & castitate, quàm externa verè religionis professione Deum colat. Ideo impuros, & maleficos, utcunque externæ religionis larvas tectos putent, tamen à se Deus amandat.

Psal.

Psal. 50. 16. Improbo autem dicit Deus quid tua, ut enar-
res decreta mea, & assumas fœdus meum in ore tuo v.
17. Cum tu oderis disciplinam, & projeceris verba mea
post te.

Veniat regnum tuum.

PRiore petitione oramus, ut *Dei* nomen ex agnita ve-
ritate colatur, & sanctificetur. Secunda petimus ra-
tionem, & modũ, quo effici possit, ut *Dei* nomen sanc-
tificetur: videlicet ut Deus spiritus sui virtute men-
tes nostras veritatis agnitione illustret, corda prãvis af-
fectibus expurget, & sanctis moribus penitus imbuat:
denique nos ita regat, ut Deum ex toto corde, & ex toto
animo diligentes omnibus vitæ nostræ actionibus ex il-
lius voluntate institutis ipsius nomen sanctificemus. Est
autem regnum Dei, quo ille rex potentissimus liberrimũ
in res omnes imperium obtinens Ecclesiam suam, singu-
laque ejus membra per Spiritum ex verbo, quod sce-
ptrum regni, Psal. 110, 2. Vegetat, fovet, docet, regit: hostes
autem regni Satanam, peccatum, mundum coercet, &
domat, tantisper dum electis suis in plenam libertatem
vindicatis penitus profliget, ac deleat. Ioh. 14. 16. Ego
verò rogabo Patrem, & alium advocatum dabit vobis,
ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum illum veritā-
tis, quem mundus non potest recipere. 1. Ioh. 3. 8. Ad hoc
patefactus est Filius Dei, ut dissolvat opera *Di*aboli. Ro.
16. 20. Porrò Deus pacis conteret Satanam sub pedes ve-
stros citò. Heb. 2. Rex noster Christus factus est particeps
carnis, & sanguinis, ut per mortem aboleret eum, qui
mortis imperium habet, hoc est diabolum: & liberos
redderet, quotquot metu mortis per omnem vitam ob-
noxij erant servituti. Venit autem regnum Dei cùm e-
lectos suos colligit, & eorum numerum auget visibiliter.
Namque eorum munerus, quorum nomina scripta sunt
in libro vitæ, nec augeri, nec minui potest. Deinde cùm
vocati majoribus Dei donis ornantur, ipsique proficiunt
in fide, spe, charitate, cæterisque virtutibus. In hunc enim

finem dedit alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi, donec evadamus omnes in unitatem fidei. Denique cum Dei donis collocupletati ipsius Spiritu aguntur, & gubernantur: quæ res in iis tum demùm fit, cùm vetus homo mortificatur, novus autem vivificatur & eatenus regnat, ut Spiritus incedentes, non quod concupiscit caro, perficiamus. Gal. 5. 16.

Aphorismi.

1 Cùm petimus ut veniat Dei regnum, quicquid obstat, obscurat, impedit, sublatū id, et eversum iri cupimus. Precamur igitur, ut depellat Deus omnem *ataxiam* & confusionem in Dei Ecclesiam à Satana invectam, falsam doctrinam, ritus superstitiosos ab hominibus excogitatos, & omnia, quæ Dei gloriam creaturis tribuunt. Nam gloriam suam alteri non dabit, nec laudem suam sculptilibus. Esai. 42. 8.

2 Precamur etiam velit Deus Spiritum erroris, qui efficax est in Filiis contumaciæ, ita cohibere, ne possit Filios Dei à doctrina veritatis abducere.

3 Hoc Dei regnum imprimis quærendum est, quòd affert justitiam, & pacem, & gaudium per Spiritum sanctum. Rom. 14. 17.

Fiat voluntas tua.

TErtia petitio declarat effectum causarum, quæ superiori petitione expositæ, quid efficiat Dei Spiritus ministerio verbi in nobis fovendis, docendis, ac regendis: Postulamus enim ut non solùm Dei spiritu acti velimus, sed etiam ex ipsius voluntate efficiamus ea, quibus & Deum in nobis regnare, & illius nomen nos colere, ac sanctificare constet. Voluntas autem non arcanum Dei decretum, sed patefactam illam, & sacris literis consigna-

tam

tam significat Act. 13. 22. Inveni Davidem Filium Iesse virum secundùm cor meum, qui exequetur omnes voluntates meas. Illa autem est vera obedientia, quæ à scientia, quæ à scientibus, & volentibus, non solùm ex Dei voluntate, eo, quo par est, animi affectu, & modo præstatur fieri voluntatem optamus, ut toto animi cogitatione re ipsa impleatur à nobis.

Sicut in cœlo: ita etiam in terra.

PArium collatione describit, quam postulet divinæ voluntatis affectionem, quæ est, ut quo spiritu, modo, affectu, promptitudine & alacritate angeli beati Deo parent, nos quoque eidem Deo morem geramus, & obsequamur pari modo. Psal. 103. 20. Benedicite Iehovæ angeli ejus, valentes robore, efficientes verbum ejus, auscultantes voci verbi ejus.

Aphorismi.

1 Si efficiendi facultas nobis desit, donec aliunde acceperimus, & si velle tantùm divinitus detur, quàm nos infirmi, & bonorum planè inopes simus perspicuè apparet.

2 Deinde cum efficiendi voluntatem à Deo postulemus, nullam nobis adesse confitemur. Quare falsum est id, quod tradunt Pontificij vim nobis ad bene agendum aliquam superesse, cùm nihil habeamus, quod non acceperimus. 1. Epist. ad Corinth. c. 4. vers. 7. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non receperis? Quòd si etiam accepisti, quid gloriaris quasi non receperis.

3 Quia multa sunt, quæ nos impediunt, & à præstatione divinæ voluntatis retrahunt, ut quod velimus, nostra infirmitate sæpe accidat, non agamus. Spiritus quidem inquit Christus, est promptus sed caro infirma. Mat. 26. 41. Ro. 7. 19. Non enim facio bonũ quod volo, sed malum quod nolo, hoc ago. Etiã atq; etiã perendũ, velit de us pravitatem animi nostri, corruptosq; affectus omnes

abolere, ne studium bene agendi in nobis restinguant, aut in diversum trahant: deinde ut justitiæ studio nos penitus magis, ac magis accendat per Spiritum.

14 Quanvis longissime à perfecta angelorum obedientia absimus, eò tamen indies cum profectu cōnitendum, & cum Apostolo ad Phi. 3. 13. ea, quæ a tergo sunt obliviscentes, & ad ea, quæ ad frontem sunt contendentes scopum versus feramur ad palmam supernæ vocationis Dei.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Res reliquæ petitiones nos, nostramque utilitatem proximè respiciunt, quibus ea postulamus omnia, quæ tum ad hanc vitam fovendam, & sustentandam, tum ad spiritualem necessaria petimus, ut victum, vestitum, & quæ ad bene tranquillèque vivendum conferunt, corporis sanitatem, aeris salubritatem, agrorum fœcunditatem, & cætera id genus, magistratus bonos, piosque, quæ omnia Hebræorum idiotismo panis vocabulo significantur. Gen. 3. 19. In sudore vultus tui vescitor pane, donec revertaris in humum, cum ex ea desumptus fueris. Prov. 30. 8. Ale me pane dimensi mei. Noster panis est ex Dei donatione, ut eo bona conscientia uti, frui possimus, neque ita noster est, quasi nobis, solis, nostræque familiæ inservire debeat neglecta pauperum, & fratrum inopia. Nos enim dispensatores bonorum Dei constituti sumus, & reddendis administrationis nostræ rationibus apud tribunal ejus obnoxij. Quotidianum vocat qvotidianę nostri corporis sustentationi sufficientem panem, quæ res fit tum demum, cum sua benedictione Deus iis rebus, quibus utimur, ut secundis causis indit alendi, fovendique facultatem, quæ alioqui nulla esset. Levit. 26. 26. Cum fregero vobis scipionem panis &c. Ezech. 14. 13. Fili hominis cum regio peccaverit mihi prævaricando prævaricatione, & extendens manum meam contra illam fregero illi scipionem panis &c.

Da) Indicat Deum corporalium etiam bonorum au-

tho-

shorem, & largitorem esse, & ex mera ejus liberalitate victum, amictumque, & quæcunque faciunt, ut pacatè, & utiliter pane nostro vescamur. Vox (*hodie*) minime sollicitos nos esse debere de crastino significat, ut absit immodica illa rerum fluxarum cupiditas, & nimia solicitudo, quâ in multos annos, cumulare vitæ necessaria studemus.

Aphorismi.

1 Paterna Dei erga nos benignitas ex eo luculentissimè apparet, quod à se omnia usque ad unciam panis, & aquæ guttam, & nos petere, & expectare velit: ita Deus vitæ nostræ licet ærumnosæ curam habet ex promissione, si piè ipsum colimus: pietas enim ad omnia utilis est, ut quæ promissionem habeat vitæ præsentis, ac futuræ. 1. Tim. 4. 8.

2 Necessaria in primis est hæc petitio etiam iis, quibus est rerum copia, & affluentia, cùm alendi facultas ab unius Dei benedictione pendeat. Non enim è solo pane vivit homo, sed ex omni verbo prodeunte per os Dei. Deut. 8. 3.

3 Qui autem pecuniæ studio ducuntur, & opes accumulandi, panem in diem petere non possunt. Injiciendum igitur frænum immodicæ rerum fluxarum cupiditati.

4 Quod verò frugalissimi cibi nimirum panis, non carnis, aut cupediarum diserte meminit Christus, eò spectat, ut ad frugalitatem & sobrietatem nos instruat, & parvo contentos esse doceat, nihilominus tamen minimè culpandi sunt, qui bona legitimis artibus acquisita in futurum reponunt, modo illud in bonum finem fiat, & in illis fiduciam non habeant defixam.

5 Et quanvis non vnius necessitatis causa cibis uti liceat, Deo nobis liberaliter, & abundè hujus vitæ adminicula subministrante, cavendum tamen est, ne rerum earum suavitate abutentes panis illius cœlestis obliti voluptatibus indulgeamus, ut monet Apostolus, Ro. 3. 14

Induimini Domino Iesu Christo, & carnis curam ne habeatis ad concupiscentias, scilicet explendas.

Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.

SVperiori petitione postulamus, quæ, ad vitam tuendum pertinent. Duabus autem sequentibus, quæ ad animum vitamque æternam spectant. Primùm igitur petimus, ut præterita peccata nobis condonet gratis, ac remittat Deus: deinde ut quandiu hic vivimus, à peccandi voluntate, & affectu liberet, ac immunes servet. Illiusque virtute freti adversus Satanam, mundum, peccatum invicti persistemus, & nova vita ambulemus. Verbum (*remitte*) merè gratuitam peccatorum remissionem nos petere significat. *Nobis*) autem non tantùm de nostra, sed de fratrum etiam salute solicitos esse. Debita Syrorum lingua peccata vocantur, metaphora à contractibus sumpta. Debemus Deo perfectam ex ipsius lege obedientiam, & cùm solvendo non simus, peccata sunt debita nostra, quæ pœnas merentur æternas, ad quas nos obligant, & sanè lueremus, nisi Deus plenissimè in Filio sibi satisfaciens ex gratuita misericordia debita nostra condonârit. Totum autem debitum, non partem aliquam remittit nobis cœlestis Pater, alioqui summè misericordem esse negaremus, quod ij faciunt, qui non pœnam sed culpam, seu reatum remitti tantùm volunt. At factus est Christus pro nobis peccatum, ut justitia Dei efficeremur in eo 2. Corinth. ca. 5, 21. Si igitur justitia Dei sumus in Christo, nulla à justis pœna exigi potest, aut debet & sublato reatu pœnarum causa, nemo sanè tolli effectum, id est, pœnas peccato debitas negaverit.

Sicut & nos.

NOn indicat causam remissionis peccatorum, sed voluntatis nostræ collationem, & significationem lenitatis, & condonationis, qua placabiles injurias nobis

factas

factas condonamus facilè, quo pertinet illud &, seu, etiam.

Aphorismi.

1 PEccatorum veniam petentes nos mortis æternæ reos esse fatemur. Ridiculi igitur, qui se perfectos, & a peccato immunes esse somniant, quales olim Cathari. Hieronymus in Pelagianos. Hæc est hominis vera sapientia imperfectum esse se nosse (atque ut ita loquar) cunctorum in carne justorum imperfecta perfectio est.

2 Summa Dei patientia, & lenitas est erga nos, quos peccantes quotidie tolerat, et tot, ac tanta peccata condonat. Sed copia benignitatis ejus, lenitatis, & tolerantiæ contemni non debet, ne thesaurizemus nobis ipsius iram in diem iræ. Rom. 2. 4. 5. Quod ob iciunt quidam in baptismo remitti nobis peccata omnia, & ideirco superv acaneam esse hanc petitionem. Respondeo assiduo precationis usu gratuitę remissionis peccatorũ beneficium nos retinere, & animis nostris firmius magis ac magis applicari. deinde ex serio nostræ infirmitatis quotidie labentis sensu ad deprecandum peccatorum veniam necessariò incitari. Præterea facta est petenti gratuita, peccatorum promissio: conditio igitur à nobis implenda est, ut veniam petamus. Quod sine sacrilegio omitti non potest, cum nostra peccata agnoscere, & veniam petendo Deum misericordem prædicare, sit pars divini cultus potissima.

3 Rectè tum demum peccatorum veniam petimus si admissa peccata lugemus, ita ut soliciti simus, ne lugenda imposterum admittamus. Quid enim abominandum magis, quàm videre canem revertentem ad vomitum, aut suem lotam ad volutabrum cœni. 2. Epist. Petri 2. 22.

4 Animadvertendum nostri respectu gratis condonari peccata: nam *Deus* justitiæ suæ non renunciat: sed

quæ

quæ gratuitò remittit nobis, severissimè eorum pœnas à Christo vade nostro exegit.

5 Peccatorum veniam petimus cum nostræ in proximum charitati professione: Dicimus enim, remitte nobis debita nostra, sicut etiam nos remittimus debitoribus nostris: qui igitur ritè precari volunt ab omni odio, invidia, ira, vindicta vacuos esse, proximumque ut seipsos amare oportebit. Mat. 5. 23. 24.

Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos ab illo malo.

Ultima petitio est, ne peccatis illecebris, aut malis malorum exemplis victi Deum offendamus: sed Dei virtute fieri peccatum subigere, Diabolo resistere, & mala malorum hominum exempla vitare possimus, ut deposito corruptæ naturæ vitio, omnique cupiditate, novâ vita ambulemus. Postulamus autem, ne cœlestis Pater nos inducat in tentationem, id est, ne gratia ipsius destitutos Satanæ, aut nostris cupiditatibus regendos, aut agitandos justo suo judicio tradat. Nam mali, & nefarii homines suis concupiscentiis, & Satanæ agendi traduntur, ut Deus peccata justè peccatis puniat: ac fidem suorum multiplici tentatione probat, & interdum ad nos humiliandum hostibus nostris vincendos tradit. Victus David adulterio & homicidio se polluit. Verùm Spiritum suum sanctum nunquam penitus ab iis aufert, unde fit, ut admissa peccata luentes resipiscant. Petrus magnæ infirmitatis argumentum Dominum abnegavit. Christus autem suos discipulos hortatus est ad vigilandum, & orandum. Mat. 26. 41. Vigilate, & orate, ne introcatis in tentationem, Spiritus quidem est promptus, sed caro infirma. Hic verò tentatio est probatio, qua desertente nos Deo, objectis quibusdam à Satana, & propria cupiditate ad peccandum impellimur. Luc. 22. 30. 31. Dixit etiam Dominus, Simon, Simon, ecce Satanas appetiit vos, quos ventilaret, sicut triticum. Ia. 1. 14. Sed

unusquisque tentatur, dum à propria cupiditate abstrahitur, & inescatur. Primùm igitur Deus deserit vincendos: deinde sunt objecta à sinistris, ut aiunt, miseriæ, calamitates, fames, egestas, carcer, ignominia, mors ipsa: à dextris voluptatum illecebræ, ac blandimenta, divitiæ, honores, opes, quibus omnibus Dei gratia destituti ad labendum impelimur à Satana, et nostra cupiditate, ut in omni fortuna & statu hac precatione sit opus maximè.

Sed libera nos ab illo malo.

PEtitionis explicatio est, qua natura Filij iræ, & servi peccati, qui in lapsum proclives facilè tentationi succumbimus, nisi divina ope fulciamur, petimus, velit Deus sua manu nos sustentare, præsidio undique munire, ne à cupiditate propria abstrahamur, aut Satan irrequietus hostis incogitantes, & minùs attentos opprimat, aut deniq; malorum exempla nos commoveant ad peccandum. Mali nomine & Satanam ipsum, carnis cupiditatem & mundum intelligimus, de quibus 1. Ioh. 2. 14. 15. 16. Scripsi vobis adolescentes, quia fortes estis, & verbum Dei habitat in vobis, & malum illum vicistis. Ne diligite mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, charitas Patris non est in eo. Quoniam quicquid est in mundo cupiditas carnis, & libido oculorum, & fastus vitæ, non est ex Patre, sed ex mundo est.

Aphorismi.

1 Nobis et imbecillitatis, & inopiæ nostræ probè conscijs cautè incedendum est, & cum timore, & tremore per viam justitiæ ad salutem contendendum. Phil. 2. 10. Proinde dilecti mei sicut semper obedistis, non ut in præsentia mea solùm, sed nunc multò magis in absentia mea cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem conficite.

2 Hostium etiam salutis nostræ vis, & fraus perpetuas excubias monet agendas esse, & indesinenter orandum

dum. 1. Thes. cap. 5 vers. 17. Non est enim nobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed adversus imperia, potestates adversus mundi Dominos, rectores tenebrarum. Ep. 6. 12. Adest etiam, qui perpetuò sollicitat ad defectionem à Deo domesticus hostis, insana vitiosæ naturæ cupiditas.

3 Cùm liberationem nostram à peccato petimus à Deo non in nobis sitam esse, neque à nobis, aut viribus arbitrii nostri pendere intelligimus.

Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in sæcula. Amen.

TErtia pars precationis est epilogus. Regni vocabulo summum in res omnes imperium tribuitur Deo, ut ubique & super omnia regnet: potentia autem summam vim, ac potestatem significat exequendi ea, quæ vult, ut nulla vis alia possit obsistere. Gloria verò Dei laudem, & honorem indicat, quo velut ad ultimum scopum, quæ meditamur, agimus, precamur, referenda sunt omnia. Psalm. 145. vers. 4. 5. 6. Generatio generationi laudibus commendet opera tua, prout hæc indicant omnimodam potentiam tuam. 5. Et decorem, gloriamque majestatis tuæ, & res mirabiles tuas elocuturus sum. 6. Et robur mirabilium tuorum operum prædicem, prout singula magna gesta tua enarraturus sum. Hic autem fiduciæ & officij nostri argumenta ad ea, quæ à *Deo* postulamus impetrandum, sunt validissima. Pater enim cœlestis Rex est, qui in res omnes imperium obtinet. Ergo suam ipsius gloriam, & suorum salutem, sartam ac tectam tuebitur. Idem potentissimus. Quare, quod è re videbitur, effecturum omnino confidimus. Denique cum omnia in ipsius gloriam referantur, persuasissimum nobis esse debet preces nostras, & vota inauditum iri. Quod additur *Amen* significat verè

sut certò sit ita, quod petimus, ut hac voce serium ac ardens precandi studium indicetur ex certa fide, in Dei promissiones. Epilogus autem nostræ precationis effectum ab uno Deo pendere ostendit, & gratiarum actione preces finiendas esse. Atque hæc pro nostri instituti ratione, quàm brevissimè in Dominicam orationem diximus.

(.*.)

M. P. S. 5. Calend. Ianuar. 1597.

FINIS.

NATIONAL LIBRARY OF SCOTLAND